sæpiùs peteret prorogari commeatum, mandavit interfici, & A adjecit, necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diù non profuisset helleborum. Solent enim medici in morbis validioribus venarum incisione uti. Et in Anticyram navigabant, quibus opus erat purgatione. *Lib.6. Apophth.*

Idem, cùm destinasset interficere fratrem suum, eumque suspicaretur sese medicamentis præmunire, ita locutus est; Antidotum adversùs Cæsarem? Timebat ille venenum, quasi Cæsar non posset alio quovis modo trucidare, quem vellet extinctum. *Erasm.l.6. Apophth.*

VITELLIUS, postquam occisum Othonem in Campo Bebriaci cognovit, cùque venisset, abhorrentibus quibusdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est. Optimè olere occisum hostem, & melius civem. Sed hic tandem religatis post tergum manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est inter ludibria, per totum viæ sacræ spacium, reducta coma, ceu noxii solent, quibusdam etiam cœno, stereoreque incessentibus. Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, confectusque est, indeque unco in Tyberim tractus. *Bruf. lib.1. cap.9. & Fulg.l.9.cap.11.ex Tacito.*

B ANTONINUS CARACALLA, cùm direptis civium bonis, atque omnibus exhaustis ærariis, sua crudelitate ingentem corrasisset pecuniam, eamque indifferenter nefariis hominibus distribueret: objurgatus à Julia matre, ut pecuniis aliqua ex parte parceret, atque prædæ optimæ partem in alium usum sibi reservaret, strictum gladium ostentans matri, respondit: Læto sis animo, quamdiù hunc habebimus, nulla nobis deerit pecunia. Ostendens, nullam pecuniam apud subditos adeò reconditam esse, quam sua crudelitate extorquere non posset, *Dion. Nicæus, & Xiphil. in vita Antonini.*

* Crux. Crucifixi.

FINIS, SUPPLICIUM, TRIUMPHUS, Usus, Virtus, Cultus.

AC PRIMUM.

NOMEN, ET ETYMOLOGIA.

C VOx ista Crux à Latinis sic appellata est in duplici significatione, vel enim largè sumitur, ut denotet quodvis supplicium, quo affligimur, aut cruciamur: vel propriè, pro instrumento, quo homines in ligno morte afficiebant: ita fortassis dictum à nimia cruciatus acerbitate: quod nempe, ut scribit *D. Aug. Tract.6. in Joan. cap.8.* in eo clavis confixi, morte productâ necarentur: veteri nomine Latini Gabalum dixerunt, ut constat apud Varronem. Item infelicem arborem, stipitem infamem, &c. ut ex Livio, Cicerone, & aliis colligitur.

Denique Patibulum appellarunt Tacitus, Plautus, Salustius. Crucem autem à κρούειν Græco, quod est ferre, pulsare, dictam volunt.

FORMA, Sive FIGURÆ VARIÆ.

Varias Crucis figuras hominum crudelitas invehit, & ad hanc divisionem reduci possunt: ut scilicet aliæ dicantur simplices, aliæ compositæ.

Simplices Cruces uno simplici, & erecto ligno constabant. Harum usus antiquior fuit. Erantque duplices: nam aliæ ad affixionem, cùm homo illis affigebatur, ligatis manibus, & D cruribus, vel etiam clavis: Aliæ ad infixionem serviebant. Erantque pali erecti, acuti, & per obscœna hominis violenter adacti, per dorsi spinam, ad extremum per os penetrantes: quorum adhuc usus apud Turcas.

AFFIXIONIS EXEMPLA.

TIBERIUS Imp. Africam Proconsulari Imperio obtinens, maleficos Saturni Sacerdotes, qui pueros immani illi Idolo sacrificabant, jussit arboribus affigi: ejusque meminit *Tert. in Apol. contra Gentes cap.9.* & *Lactant. Firmin. Divin. Instit. lib.1.cap.21.*

Etiam Martyres plurimos arboribus pro Crucibus affixos constat. Inter quos primas sibi vindicat Paphnucius, qui dum in Ægypto remotam ab hominibus vitam ageret, & intellexisset multos Christianos quotidiè ob fidei confessionem carceribus mancipari, divino Spiritu concitatus, coram Præside se Christianum professus, catenis vinctus, & equuleo diù tortus: ac tandem Imp. Diocletiano transmissus, palmæ arboti configitur. *Martyrol. Roman.24. Septem.*

S. PAPUS Martyr etiam ad arborem alligatus, eam ex sterili E reddidit fructuosam. Idem *Martyrol.16. Martii.* Aguntque de illo Græci in Menologio.

INFIXIONIS EXEMPLA.

Truculentissimum hoc supplicii genus, quo homines velut in verubus, stipitibus infixos morte extinguendos, & putredine absumendos relinquebant, veteres nonnunquam adhibebant, ut colligere est apud *Sen. in libello de consol. ad Martiam.* Atque constat ex Carmine Mecœnatis per eundem allegato.

Vita dum superest, benè est.
Hanc mihi, vel acutum,
Si das, sustineo Crucem.

Familiare id hodiè est apud Turcas, ut hoc supplicio in proditores potissimùm advertant, & dicitur apud Italos *impalare.*

BLADUS DRACULA ut sibi stabilem faceret Moldaviæ principatum, fertur occidisse viginti hominum millia, eosque tam impuberes, quàm adultos palis suffixisse, *Chalcocondylas lib.9.*

Anno Dom. M. D. XCVII. Maximiliano Austriæ Archiduce in Turcas bellum movente, & Pappam inferioris Hungariæ arcem, & oppidum munitissimum occupante, comprehensi in illa septem Bribegi (ita proditores, & exploratores appellant) qui usitato Hungaris supplicio, omnes palis transfixi, vitam inter mille cruciatus effuderunt. *Ex tom.6. Civit. orb. terrar.*

CRUX COMPOSITA.

Crux Composita est, quæ manibus construebatur, idque ex duplici ligno, ita ut brachia in altero extenderentur. Harum etiam non una erat forma.

Alia erat *Decussata*, quæ compacta erat ad modum litteræ X, alia *Commissa* ex ligno erecto, & longo, cui brevius transversum in ipso capite affixum erat, sic tamen ut nihil emineret ex primo illo erecto: referebatque figuram litteræ T.

Tertia *Immissa* dicebatur, formata ex ligno erecto, & transverso: sic tamen ut ex erecto pars aliqua supereminereet, haberetque velut quaternos fines.

COMPOSITÆ CRUCIS FIGURÆ, sive Typi.

Crucis Decussatæ ab antiquo verbo Decusso, hoc est in G duas partes divido, typum expressisse videtur Jacob Patriarcha, benedicens filiis Joseph: nam ut primogeniti jura transferret in Ephraim, qui secundo loco genitus erat, brachia suâ in Crucis figuram conformavit, dextramque super caput ejus, qui ad sinistram stabat, extendit. De quo ita *Hieron. in cap.31. Jer.* Sed in mysterio Crucis decussatis manibus, qui stabat ad sinistram Jacob, dexteræ manus suscepit benedictionem. *Gen.cap.48.*

Crucis Commissæ typus fuit littera Tau apud Ezechielem, qua signari voluit frontes salvandorum Deus, ut ita furorem justæ vindictæ evaderent: quod tum Ezechieli est ostensum, cùm sex illos homines videret missos ad interficiendum populum Jerosolymitanum. *Ezech.cap.9.* & dicit *Tertull. lib.3. ad Marcion. cap.22.* Ipsa littera Græcorum Tau, & nostra T. species est Crucis.

Fortassis huc etiam respexit Deus, quando jussit fores, sive postes domorum obsignari sanguine Agni, quem Hebræi immolaverant. *Exod.12.*

Crucis Immissæ imaginem habemus in æneo serpente à Moyse Dei jussu in deserto erecto, quem qui aspiciebant, à H morsibus ignitorum serpentum sanabantur. *Num.cap.12.*

Fuit autem hujus figuræ Crux illa, in qua Dei filius salutem nostram moriendo operatus fuit, superando in ligno eum, qui primos nostros parentes per lignum vicerat. Et constat ex Titulo addito Cruci Commissæ, qui fecit Crucem quaternarum extremitatum. Ita *Arnoldus Mermannius in suo Tract. de S. Cruce, & Justus Lip. Thom. Bozius*, communiter omnes.

Cujus autem materiæ in speciali, hoc est, ex quo genere ligni Crux, in qua Salvator noster pependit, fuerit, variant Authores, dum hi scribunt, *Ligna crucis palma, Cedrus, Cupressus, Oliva. Glossa in Clem.1. de summa Trinit. & in verbo Cruci.* Alii ex robore, sive quercu constructam fentiunt cum Goropio, Becano, *Gallic.l.5.* Cujus typum volunt, quod Deus Abrahamo sub quercu sedenti, tanquam sub Cruce filium Isaac promiserit. *Genes.cap.18.* Eadem sententia est *S. Cypr. hymno de Paschate.*

* CRU-

* CRUCIS SUPPLICIUM

A *Antiquum, & receptum apud Varios.*

Ab ipsius Nini primi Assyriorum Regis temporibus, cujus regni anno XLIII. natus fuit Abraham, hoc supplicium in usu erat: Nam cùm ipse comparato exercitu Medeam invasisset, ut illius provincia potiretur, Pharnus ejusdem Rex altero exercitu se opposuit, verùm commisso prælio, capitur unà cum uxore, & septem filiis, & in Crucem Nino jubente agitur. *Diod. Sicul.l.2. Antiq. cap.1. Sabell.l.1. Enn.1.*

Jam à temporibus Moysis receptum Crucis supplicium fuit: nam cùm Deus Israelitis succenseret, quòd cum scortis Moabitarum corpora miscuerant, & ex carnibus Idolis immolatis comederant, præcepit Moysi; Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. *Numer.cap.25.* Non est tamen compertum, quis illius supplicii auctor fuerit.

Cùm quinque Reges Amorræi, qui urbem Gabaon obsederant, eò quod cum Josue fœdus iniisset, à Josue profligati essent, & in speluncam quandam apud Macedam sese abdidissent, Josue ingentia saxa ad os speluncæ advolvi jussit, & eos ibi custodiri: Post deletos hostes reversus, à spelunca B eos extrahi, & belli proceribus, ut pedes suos illorum cervicibus imponerent, imperavit. Mox eos in crucem sustulit. Occidente sole demissos in speluncam eandem abjecit, & fauces speluncæ ingentibus saxis oppilari præcepit, quæ etiamnum manent. *Jos. cap.10.*

Rex Hajensis à Josue in crucem actus. *Jos.8.*

Sauli septem Filii à Gabaonitis crucifixi, quòd eos Saul contra fœdus à Josue ictum perdidisset. *2. Reg.21.*

Alexand. Jannæus Hircani III. F. Judæorum Rex, victis aliquoties Judæis rebellantibus, tandem potentissimos eorum compulsos in Bethoniam oppugnavit, & Hierosolymam captivus abduxit. Ubi epulans cum meretricibus excelsiore loco ad DCC. jussit suffigi crucibus: in conspectu adhuc viventium jugulavit uxores eorum, & liberos, pœnas exigens pro acceptis injuriis. *Joseph. l.12. cap.21. & 22.*

APUD PHILISTÆOS, SIVE PALÆSTINOS.

Cùm Philisthæi insignem de Judæis victoriam reportassent, in qua Rex Saul cum tribus filiis ceciderant, abscissis regiis capitibus, corpora eorum in Cruces egerunt, juxta Betsanæ C civitatis mœnia suspensis armis in templo Astaroth Idoli. *Joseph. Antiq. Jud. l.6. cap.15.*

APUD ÆGYPTIOS.

JOSEPH Patriarcha in Ægypto carceribus detento, pincerna, & pistor Pharaonis, juxta somnii interpretationem ut conjectoris veritas probaretur, eodem etiam carcere mancipati liberantur: sic tamen, ut pincerna ad solitum ministerium rediret, pistor vero cruci suffigeretur. *Gen.40.*

INARUS Libiæ Rex cùm à Megabaro Persa, quem Artaxerxes Rex cum exercitu miserat, victus, fugatusque esset, eiqs per proditionem traditus, Cruci affixus illius jussu fuit. *Thucidydes de bello Pelopon.l.1.*

CLEOMENES Rex Spartanorum post mortem cruci affixus est. Prælio enim victus ab Antigono Macedonum Rege, in Ægyptum se receperat apud Ptolemæum: quo vita functo, cùm apud filium illius in criminis suspicionem venisset, mortemque sibi in carcere conscisceret, Juvenis Ptolemæus pelle nudatum Cruci suffixit. *Bosius l.1. de Cruce cap.7.*

FOEMINÆ CRUCIFIXÆ APUD ÆGYPTIOS.

D Defuncto Ptolemæo Juniore, qui parentes, fratremque regnandi causa interfecerat, Agatoclea concubina, propter quàm Eurydicem quoque sororem suam, & conjugem interfecerat, motte illius diù occultata, & Gaza regia direpta, Regnum ipsum, in quo quinquennis Regis filius successerat, ut occupare conabatur, quo scelere cognito, populus in eam concitatus, ejus fratrem quem civitati præfecerat, trucidavit, & Agatocleam ipsam, & matrem interceptas, ut Eurydicis Reginæ mortem ulciscereturs, Crucibus affixit. *Justinus lib.histor.30.*

☞ *Vide infrà Catalogum Crucifixorum causa Religionis.*

APUD PERSAS.

Etiam Persis Crux usitata, & frequens. Aman ille superbus, & tumens apud Assuerum Regem, in Crucem quinquaginta cubitorum, [quo crux altior, eò magis infame supplicium censebatur] quàm Mardochæo præparaverat, suf- E figitur: omnesque filii ejusdem, qui decem numero erant, pariter in Crucem acti sunt. *Esth.c.7. & seq.*

DARIO in Græcos bellante, Histiæus Milesius ab Harpago Darii præfecto captus, & cruci affixus est. *Herodotus.*

SANDOX Æolidis præfectus à Dario cruci affixus est, quòd pecunia corruptus injustè judicasset. *Alexander ab Alexan. lib.3.cap.5.*

ARTAYCTES Persa, Sesti præfectus, ab Athenienfibus, Xanthippo Antiphronis F. Duce, captus, stipiti suffixus est. *Herodotus.*

SATASPES Persa Thraeaspis filius, à Xerxe Rege cruci affixus est, quòd Zopyri F. Megabyzi filiam virginem vitiasset: quòdque etiam totam Africam non peragrasset, quod se factum ad diluendum stuprum dixerat. *Herod.*

POLYCRATES Samiorum Principes, qui prospera in omnibus fortuna usus fuerat, ut erat pecuniarum avidissimus, ad Oretem Sardiorum urbis Præfectum se contulit, ea spe delusus, quòd Cambysis Persarum Regis gazam sibi dandam existimaret. At statim ubi Magnesiam appulit, in crucem actus interiit. *Val.Max. Strabo l.4. ex Herod. Halicarnas. lib.3.* F

LEONIDEM Lacedæmoniorum Regem, postquam ad montem Thermopylas pro patria dimicans fortiter occubuisset, *Xerxes* non ferens eam copiarum suarum stragem, qua affectum se videbat in illo certamine, generositatis suæ oblitus, in Cruce suspendi, & caput truncari jussit. *Herod.lib.7.*

APUD SCYTHAS, ET SARMATAS.

De CYRO Persarum Rege potentissimo memorat *Diod. Sicul.l.3. Antiq.* quod cùm prævalido exercitu Scythiam invasisset, ut illius Provinciæ potiretur imperio, ab illius Provinciæ Rege, vel ut alii Amazonum Regina, prælio victus, captus, & in Crucem actus fuerit.

Herod. autem Cyri mortem aliter describit, quòd nempè prælio adversùs Massagetas victus occubuerit, cujus corpus dum inter cæsorum cadavera reperiretur, Tomyri Reginæ traditum, quæ caput abscissum in utrem humano sanguine repletum dimisit, ut cruore satiaretur, quem in vita tam cupidè sitiverat. *Lib.2. circa finem.* G

Strabo l.Geograph.14. scribit fluvium esse nomine Letheum, vicinum Libybus Hesperiis: huic imminere montem, cui nomen Thorax, in quo, fama est, Daphitam grammaticum cruci suffixum fuisse, quòd maledico carmine reges incessisset. Unde dictum illud manarit in vulgus, ut dicerent, φύλαττε τὸν Θώραχα, id est, Cave à Thorace. *Erasm. in Adag.*

APUD GRÆCOS.

XANTIPPUS Athenienfium Dux Arctaytem Xerxis Prætorem, & Æoliæ tyrannum, qui Protesilai templum, & sepulcrum ingentibus thesauris nobile, & opulentum spoliaverat, comprehendit, & pro sublatis thesauris redemptionem aliquot talentorum offerentem, in Crucem suffigi jussit, filiumque ante patris viventis adhuc conspectum obrui lapidibus imperavit. *Herod. in sua Calliope.*

APUD CARTHAGINENSES.

Refert *Justin.* Olympiam Philippi Macedonis Regis uxorem, & Magni Alexandri matrem indignatam, quòd se repu- H diata, Cleopatram Attali sororem duxisset Philippus, in Epyrum se recepisse apud Alexandrum suum fratrem Epyrotarum Regem. At ubi accepit Philippum à Pausania nobilissimo Juvene interfectum, & cæsorem in crucem actum, quasi ad mariti funus advolans, prima adventus sui nocte, Pausaniæ in Cruce pendentis capiti coronam auream imposuit, quasi gratiam relatura, quòd maritum sibi inimicum obtruncasset. Tradit ex *Justin. Bosius* suprà.

Tyrum urbem Phœniciæ clariss. inopinata Servorum conspiratio oppressit. Cuncti liberæ fortunæ viri ad unum cum virili stirpe periere. Alexander itaque Macedo post longam obsidionem Tyro potitus, nefariæ cædis memoriam pertæsus, ac velut antiquæ Tyriorum injuriæ ultor, quicunque bello superfuere, crucibus (servili supplicio) ad unum affixit, Stratonis tantùm progenie servata. *Sab.l.9. Enn.1.*

BOMILCAR Amilcaris filius, Pœnorum Dux, veniens in suspicionem Carthaginensium, quòd cum Agathocle conspira-

ret,

tet, in medio foro patibulo suffixus est. Unde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum & ingratitudinem, & crudelitatem illis exprobrando expiravit. *Trogus l.33. Justin.lib.22.*

Mortuo Alexandro M. Perdiccas expeditionem fecit adversùs Ariaratham Cappadociæ administratorem Macedonibus rebellantem: prælioque victor, interfectis 4000. viris, & totidem captis, Ariaratham, ejusque cognatos omnes excruciatos crucifixit. *Diod.l.18.*

Hanno Carthaginensis, Philippi Macedonis Regis temporibus, quòd in filiæ nuptiis principes civitatis veneno necare tentasset, captus, ac primùm virgis cæsus, deinde effossis oculis, & manibus, cruribusque fractis, cruci affixus est. *Just.lib. 31. & Oror.l.4.cap.6.*

Alex. Macedo, mortuo Ephæstione (quem unicè diligebat) medium ejus Glaucum (quòd eo in spectaculis absente Ephæstion vinum bibisset) cruci suffixit. *Plut.in Alex.*

Machæum Ducem suum eum exercitu exulare faciebant iidem Carthaginenses: quod quamvis magnam Siciliæ partem illis acquisivisset, tamen alibi prælio victus, magnam exercitus sui partem amisisset. Unde in tantam desperationem actus fuit, ut ipsam Carthaginem longa obsidione premeret. Reversus intereà Cartalo proscripti Ducis filius à Tyro, quò legatus missus fuerat, per castra patris transivit, & ab eo accersitus, priusquam urbem ingrederetur, ire noluit, immò ne adspiciendum præbuit, seque publicæ prius religionis officia executurum, quàm privatæ pietatis respondit. Quod quamvis pater indignissimè ferret, tamen religione tactus, liberum dimisit. Paucis deinde diebus exactis, cùm de rebus suis Cartalo ad Senatum retulisset, permissione ab ipso Senatu impetrata, ad patrem in castra, purpura, & tiara indutus venit. Qui eo viso, indignabundus, quod pridem venire abnuisset, quodque eum illo habitus splendore ad se venire existimaret, ut velut de exilio ipsius triumphum ducere videretur; ira percitus, adeò in eum excanduit, ut eum ita splendidè ornatum, & infulis sacerdotalibus coronatum, in altissimam Crucem in conspectu urbis crudeliter jusserit affigi. Sic eum affatus: Quandoquidem tu in Patre non nisi exulis nomen agnoscis, ego quoque me Imperatorem magis, quàm patrem ostendam: statuamque te in memorabile, atque æternum eunctis filiis exemplum, nè quis posthàc infelicibus miseriis Patrum illudat, neve eos irrideat. *Justin,l.28.in fine.*

Apud Romanos.

Val. Bestius à L. Imbrico affixus est cruci, quòd Rusium filium suæ fidei commissum interfecit, ut ejus auro potiretur. *Plut.*

Titus Hierosolymam oppugnans, captum Unum ex hostibus cruci pro muro affixit, si fortè reliqui vel hoc spectaculo territi deditionem facerent. Sed frustrà. Eos etiam, qui pabuli causa è civitate erumpentes, cum Rom. congrediebantur, comprehensos omnes Titus crucifigi jussit. Capiebantur autem indies Judæorum quingenti, & ampliùs, quos Romani ira, & odio suffigebant, cùm tantam multitudinem custodire non possent. Tandem & spacium crucibus deerat, & corporibus cruces.

Lege Duumviralium Perduellionibus apud Rom. Crucis supplicium decernebatur: meminit. *Cic.in orat. pro Cajo Rab.*

Antigonus Asamonæus ultimus Judæorum Rex, Parthorum favore suffultus, dum expulso Hircano regnum occupasset, demum ipse à Cajo Sosio Syriæ Præside expugnata Jerosolyma captus, trigesimo quinto circiter anno ante Christum natum, ad Marc. Anton. qui tunc Orientis moderabatur imperium, vinctus, & captivus perductus, virgis cæsus, & in crucem actus, demum capite truncatus est. *Dio,Rom. hist.l.49.*

Varus qui cum imperio Pop. Rom. Græciæ, & finitimis populis præerat, cognita gravissima Hebræorum in civitate Jerosolymitana defectione, movens Antiochia, exercitum eò perduxit. Quo apparente, qui Sabinum Præfectum urbis obsidebant, fugerunt. At Varus defectionis noxa populo condonata, distributo per urbem exercitu, in authores exarsit, eosque conquisitos, & captos ad duo millia crucibus affixit. *Joseph.Antiq.Judaic.l.17.cap.12.*

Etiam foeminæ a Romanis Crucifixæ.

Paulina Saturnini viri illustris uxor, Tiberii Cæsaris temporibus, formæ decore præcellens, cùm ad impudicitiam à Decio Mundo Juvene tentaretur, nullo modo ab honestatis proposito potuit dimoveri. Sed miserata hunc, Patris fui libertà, nomine Ida, spopondit se operam daturam, ut is ea, quam deperibat, potiretur. Sciebat enim Paulinam quondam religionis affectu Isidi deæ devotam. Unde ingenti pecuniæ vi ædituos sani Isidis circumvenit, Paulinæ ut indicarent, Anubem Deum ejus pulchritudine captum, etiam concubitum illius exposcere. Illa, marito, cui uxoris pudicitia perspecta erat, consentiente, una nocte in templo pernoctat: Inducunt æditui Juvenem, qui tota illa nocte adamata muliere potitus fuit, nequaquam illa reluctante, existimante se in complexu Anubidis esse. Verùm Tiberius postquam accuratè omnia, quæ acciderant, didicit, sacrificos illos Impostores in Crucem egit, & cum is Idam hujus sceleris inventricem: diruto que templo, statuam Isidis in Tyberim mergi jussit.

* Circa crucifixos

Consuetudo varia.

Cruci affixionem non minus Judæis, quàm Gentilibus usitatam constat, verùm Judæi hoc supplicio damnatos eo humanitatis prosequebantur obsequio, ut postquam expirassent, eos deponerent ante vesperam, & terræ commendarent: juxta Domini mandatum *Deuter.21.* ubi id claris verbis præcipitur. Rationem dat *Card. Cajet.* quòd Deus cruce suspensos tanquam facinorosissimos vellet delceri de terra, ut ne quidem eorum cadavera superessent.

Unde cùm Saulis Judæorum Regis, ac trium filiorum corpora propè mœnia Bersam crucibus fuissent suspensa, & Philisthæi eadem in illis relinquere cogitarent, Imperterriti quidam Juvenes ex Jabes Galaad, de nocte venerunt, & ea deposuerunt, tumulique honore affecerunt. *Lib.3.Reg.cap.21.*

Gentiles verò cadavera in crucibus relinquere soliti erant. Unde *Juven.Satyr.14.*

Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictæ
Ad fœtus properat, partemque cadaveris offert.

Theodorus Cyrenucus Lysimacho Pergami Regi crucem ei quandoque interminanti respondebat, ut horribilibus istis minis delicatos suos aulicos tertifaceret: parum sua referre, an corpus suum terra conditum, an in sublimi aere putresceret. *Cic.Tusculan.q.l.1.*

Ita Polycratis Samiorum Regis corpus, cujus supra meminimus, ab Oræte suspensum in cruce, in eadem computruit, cujus diri spectaculi monumentum habes apud *Val. Max.l.6.cap.ult.*

Avilii Flacci Ægypti Præsidis ea crudelitas erat, ut cùm moris esset ipsis Augustorum natalitiis, cadavera crucifixorum reddere nepotibus tumulanda, ipse illis diebus alia accumulabat, & nè sepelirentur, vetabat. *Philo Judæus.*

Memoriæ proditum tradit *Plut.* Milites, qui ad Crucem, in qua Ptolomæi Junioris jussu Cleomenis Spartarum Regis cadaver suspensum erat, excubabant, post dies aliquot retulisse, quendam se immanem serpentem vidisse, qui Regis faciem corpori circumplicatus velabat, ne rapacitati alitum exponeretur. *Plut.in Cleomene.*

* Crucis supplicium

Maximè infame, & in servos latum.

Crucis supplicium omnium summum, & maximè in fame censuit *Calist.Jurisc.* habetur in *Digesto novo de pœn.l.1. Capit. n.28.* Unde *Cicero* suis in *Cajum Verrem* Actionibus, gravi oratione conqueritur, quòd contra leges, ac patriæ consuetudinem, Gavium Consanum civem Romanum in Crucem egisset. Apud te, inquit, nomen civitatis ne tantùm quidem valuit, dilationem aliquam crucis, ut crudelissimi, teterrimique supplicii aliquam parvam moram saltem posset afferre. *Act.7.*

Romani in servos potissimùm, quos vix inter homines reputabant, hoc supplicio desæviebant. Unde *Horat.Satyr.6.*

Pone crucem servo: & iterùm

O demens, ita servus homo est? Nil fecerit, esto;
Hoc volo, sic jubeo, &c.

Scribit *Paul.Orosius*, Romæ seditione commota, ac Tiberii Gracchi morte secuta, gravem illam servilem contagionem, ac Siciliæ pestem exortam, eoque tempore Mynturniæ cccc. & L. servos Crucibus affixos fuisse. *Lib.5.cap.9.*

Titus Liv. meminit viginti quinque Servorum, qui in Campo Martio invicem conspirantes, Crucibus confixi sunt. *Lib.2.Decad.3.*

Refert *Suet.Trang.* de scelestissimo Caligula, qui regnandi libidine exarsit, cùm Tiberium vidisset animam agentem, & quo mortem acceleraret, pulvinari ori superimposito guttur perstrinxisse, quòd fidum illius Libertum in Crucem egerit, hoc

hoc solo, quod præ illius sceleris atrocitate ingemisceret. *In Calig.*

Augustus Cæsar etiam in Sicilia devicto Lepido, sex millis servorum in Cruce suspendit. *Oros.l.6. cap.18. in fine.*

Ita teste *Tacito lib.4. & lib.2. histor.* fugitivus servus, nomine Gæta, à proprio Domino in crucem actus fuit. Vitellii quoque libertus potentia, & auctoritate Imperatoris abusus, etiam cruci affixus est.

Milites in crucem acti.

Opilius Macrinus Imp. etiam milites delinquentes in Crucem tollebat. Cujus acerbitatis *Jul. Capit.* meminit his verbis: Nam & in Crucem milites tulit, & servilibus suppliciis affecit.

Avidius Cassius dum ad Danubii ripam castra haberet, auxiliaria manus tria Sarmatarum millia nullis excubiis dispositis negligenter se habentia invasit, & concidit: ad quem dum Centuriatores præda onerati accederent, sperantes laudem, ac præmium se consecuturos, omnes in Crucem acti sunt, quòd inscio Imp. dimicassent. *Vulcatius Gallican.in Avidio Cassio.*

Nihil mitius scribit *Val.Max.* de Scip. Africano. Is tamen ad firmandam disciplinam militarem, aliquid ab alienissima crudelitate sibi amaritudinis mutuandum existimavit. Siquidem devicta Carthagine, cùm omnes, qui ex nostris exercitibus ad Pœnos transierant, in potestatem suam redegisset, gravius in Rom. quàm in Latinos transfugas animadvertit. Hos enim tanquam patriæ fugitivos, Crucibus affixit, illos tanquam perfidos socios securi percuti jussit. *Val. lib.2.cap.7.*

Furta, ac latrocinia

Per crucem punita.

Seneca. Latrocinium fecit aliquis? quid ergo meruit? ut suspendatur: ita & *Apulejus*, Latronem istum miserorum pignorum meorum peremptorem, Cruci affigatis.

Lucius Florus commemorat in Sicilia ingentem numerum Latronum simul coacervatorum ad tantam potentiam devenisse, ut Prætorum Romanorum castra expugnaverint. Demum à Publio Rupilio apud Ennam Civitatem obsessos, magno eorum numero ibi fame consumpto, ceteros omnes captos, & in Crucem actos fuisse. *Lib.3.cap.19.*

Alexander Severus civem quendam sordidæ vitæ in militiam adscriptum, intercedentibus pro eo amicis; cùm in furto deprehensus esset, in Cruce suspendi jussit: quam executionem *Lamprid.* scripto consignans, his verbis absolvit. Et cùm quæreretur à Regibus, quid apud eos paterentur fures; illi responderunt, Crucem. Ad eorum responsum, in Crucem sublatus est.

Pontius etiam Pilatus Romani Imperii minister, idcircò duos latrones, qui Christo capto etiam vinculis traditi fuerant, crucifixit.

☞ *Vide plura inter exempla superius allegata.*

De vera cruce, in qua salutis nostræ Auctor pependit. Qualis ea fuerit. Sive ex qua Materia?

Variæ super hac re opiniones, & commenta.

De Cruce vera, in qua salutem nostram operatus est Dei filius, & pacificavit per sanguinem suum, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra, plures sunt opiniones: quarum quædam fabulationes potius videntur, quam solidæ narrationes.

Scribit de hac re *Nicol.de Lyra*, secutus veterum Hebræorum deliria, in eum, qui sequitur, modum. Legitur in historia, quòd Regina Saba vidit in domo saltus Libani Salomonis quoddam lignum, de quo vidit in spiritu, quod in illo pateretur ille, propter quem deficeret regnum Israel. Quod cùm significasset Salomoni, ipse volens servare durabilitatem regni, fecit poni illud lignum in profundo terræ juxta templum, ubi postea in superficie terræ facta est illa piscina, & ideò postea ibi illud lignum apparuit modo prædicto. In quadam verò historia S. Crucis dicitur, quod Seth F. Adæ, ex præcepto Patris ivit ad paradisum voluptatis, unde ejectus fuerat, & petiit ab Angelo custodiente locum illum de oleo misericordiæ, qui acceptis tribus granis arboris ligni vetiti, dedit ea Seth; & ipse plantavit super sepulchrum patris sui Adæ, & indè ortæ sunt tres virgulæ, quæ postea in unam arborem sunt conjunctæ. Postea tempore Salomonis illa arbor fuit secta, quia videbatur ædificationi templi necessaria, verumtamen quando applicabatur ad opus, semper erat nimis curta, vel nimis longa, & ideò tanquam inutilis ad hoc dimissa fuit juxta templum, in atrio quodam. Homines autem venientes ad templum illi ligno cœperunt facere quandam reverentiam, instinctu divino, de quo dolentes Sacerdotes, fecerunt illud proiici intra piscinam, quæ erat propè templum, quòd descendens ad fundum ibi diù latuit: postea verò imminente passione apparuit modo prædicto. Hæc ille *super cap.5.Joannis.*

Godefridus Viterbiensis Chron.p.14. de filio quodam Noe, cui nomen Hionto, scribit in hunc modum: in Paradisum intromissus, surculos palmæ, abietis, & cupressi decerpsit, variisque in locis plantavit: ex quibus mirabili modo in unum concretis, extiterit arbor trium illarum naturam referens, ex qua postea Crux Domini fit compacta.

Quædam alia his similia reperit *Jacob Gretzer. in codice Bibliothecæ Augustianæ*, ubi habetur, Abrahamum tres surculos, nempe pinus, cupressi, & cedri panxisse: eosque postea unam in arborem coaluisse, distinctis tamen radicibus, & verticibus: hanc unà cum aliis ad fabricam templi à Salomone succisam, nullique loco aut aptam fuisse, aut aptari potuisse, eaque de causa à Salomone destinatam, ut nescio in qua templi parte, sedilis vice fungeretur: eò adductam Sibyllam, considere noluisse, sed spiritu Dei plenam prædixisse, quis in eo ligno venientibus sæculis mortem oppetiturus esset: Salomonem hoc oraculo permotum lignum ad Orientem solem rectum destituisse, & triginta argenteis crucibus cinxisse, idque eo loco usque ad tempus Passionis Domini permansisse, ☞ *Vide Gretzer.de Cruce tom.1.l.1.c.6.*

Majorem probabilitatis speciem redolent, quæ sequuntur. Quidam enim existimant, quòd cùm crux Christi victoriæ illius trophæum extiterit, ex eisdem lignis confectam, quibus Hierosolymam ingrediens quasi post victoriam reversus triumphavit: hæc autem Palmas fuisse, & olivas, usus Ecclesiæ comprobat, in Dominica Palmarum illa solùm arborum genera benedicens.

Alii opinati sunt, Crucem Christi ex Taxo fabricatam fuisse, innitentes verbis *Hier.c.11.* Mittamus lignum in panem ejus, nomine enim ligni taxum, quæ arbor est venenosa, intelligi debere, author est *Lyranus in eundem locum.* Per panem verò Glossam, & Patres, corpus Christi significare velle satis exploratum est: unde perindè ajunt fuisse dicere, mittamus lignum in panem ejus, ac si dixisset, affigamus corpus ejus, quod ipse panem vocitat, venenoso, & execrando taxi ligno.

Alii tandem in ea fuerunt sententia, ut putarent materiam Dominicæ Crucis fuisse Fraxinum, de qua *Virgil. Eclog.7.*

— *Fraxinus in sylvis pulcherrima.*

Quod si hæc sententia, quam tamen nulla ratione video fulciri, vera esset, præclaram sanè mysticam intelligentiam sustineret: fraxinus enim arbor est procera, & ad fabricandas hastas optima. Unde *Isidorus* ait Achillis hastam ex ea confectam fuisse. Hæc etiam arbor adeò serpentibus est ingrata, ut facilius in ignem se immittant, quàm inter ejus folia se involvant, ut auctor est. *Plinius lib.19.c.14.* Unde non solùm illam, sed & umbram ejus adeò execrantur, ut nulla ratione eam attingant. Est etiam hæc arbor variis infirmitatibus utilis valdè, & humanæ naturæ mirum in modum benigna; nam priusquam serpentes prodeant, flores emittit, folia verò ejus non decidunt, quousque serpentes aufugerint. Quæ certè qualitates salutiferæ Cruci opportunè accommodari poterunt, ut qua velut hasta superatus serpens ille antiquus, & varia medicamina languoribus nostris allata fuere.

Anastasius Sinaita ait, Christum recubuisse, & obdormisse in ligno crucis, ex tribus arboribus confectæ, quibus intelligit Cupressum, Pinum, & Cedrum: quod & *Joan. Cantacuzenus* Imperator Constantinopolitanus tradidit *in assertion.contra Mahometanos.* Eidem sententiæ adstipulantur *D.Chrysost.orat.de Venerat.Crucis tom.1. & Alex.Monachus.*

Similiter *Beda in Collect.* ubi ait: Crux Domini de quatuor lignis facta est, quæ vocantur Cupressus, cedrus, pinus, & buxus, sed buxus non fuit in Cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi, in qua conscripserant Judæi titulum: cupressus fuit in terra usque ad tabulam, cedrus in transversum, pinus sursum.

Eandem sententiam amplectitur. *D. Bern. de Pass. Domini cap.46.* dum versans verba illa. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Quid est, inquit, in palmam? In crucem, cujus una pars de arbore palmæ dicitur facta fuisse: de quatuor enim generibus arborum facta fuisse refertur de cupresso, de cedro, de oliva, de palmis. Cupressus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Sic ille.

Eidem sententiæ suffragatur *Gloss. in Clement.1. de summa Trinit.* ubi hoc carmine suam, & aliorum de materia Crucis sententiam significat.

Ligna

Ligna Crucis palma, cedrus, cupressus, oliva.

A Ponit verò cedrum in stipite, palmam in palo perlongum, cupressum in ligno ex transverso, olivam in tabula super crucem. Eadem de numero lignorum tradit *Vincent. Spec. hist. lib. 7. cap. 24. & Innoc. serm. 1. de uno Mart.* dum ait: Fuerunt in Cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, & lignum transversum, truncus suppositus, & titulus superpositus. Mysticam autem harum arborum explicationem tradit D. *Bern. lib. de pass. Domini cap. 40.*

PROBABILIOR DE Hac RE SENTENTIA.

Omissis superioribus opinionibus, dicendum omnino videtur, Dominicæ Crucis materiam fuisse ex Quercu, ita olim conja fœmina clarissima *in Vincent.* cecinit his versibus:

Tollitur in cœlum clamor, cunctique repentè
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituunt.

Idem planè prædixisse videtur *Isaias*, dum *cap. 6.* sic ait: Longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerit in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & convertetur, & erit in ostentionem sicut terebinthus, & quer-
B cus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit, quod sterit in ea. Quibus verbis Isaias prædicit, partem populi Judaici indurandam, partem verò divino lumine illustrandam: vastandos item Judæos à Romanis, atque decimandos, reliquias verò servandas per crucem quernam, ex qua semen benedictum, hoc est, Christus Dominus pependit.

Quercum figuram crucis extitisse haud difficile erit deprehendere ex verbis 2. *Reg.* 18. Adhæsit, ait scriptura, caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiavit Joab: Vidi Absalon pendere de quercu. Tulit ergo Joab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon, cumque adhuc palpitaret, hærens in quercu. Quercus hæc crucis imaginem gessit, sicut & Absalon in illa pendens Christum figuravit: in hoc dissimilis, quod ille pependit patri honorem erepturus, hic Patri redditurus, personam nostram sustinens, qui instar Absalon contra Regem Regum, Patrem nostrum rebelles insurrexeramus, ut rectè observavit D. Greg. Nyssenus, qui elucidans inscriptionem Psalmi tertii, quæ est hujusmodi: Psalmus David, cùm fugeret à facie Absalon filii sui, ait, Absalonem, hoc est, malitiam, quando contrà
C nos insurgit, opprimi posse tribus telis, seu lanceis, auxilio ligni illius, in quo pependit nostra salus, & subdit D. Gregorius: Perspicuum verò tibi est illud per historiam ostensum ænigma, quale sit lignum illud, cui affixa est malitiæ coma, quam Apostolus chirographum peccatorum vocat, prout ait: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, hoc est ligno. Hæc ille *comm. in script. Psalm. Extant in Biblioth. Bavaric. in Græc. codicib. manusc.*

Rationes plures sunt, quæ hanc sententiam confirment. Prima est, quia hac arbore nulla magis obvia, ac frequens in Judæa. Secunda, quia particulæ Crucis, quæ multis in locis asservantur, & religiosè coluntur, cum ligno quercino mirum in modum conveniunt forma, & colore, fortitudine, & soliditate, quæ maximè quæri debuit ad figuram. Tertia, quia quercus annosa, & perennis valdè est, unde cum Crucis fragmenta sine carie, & teredine perseverent, probabile est ex quercu crucem fuisse fabricatam.

Quartam addo mysticam rationem: nam olim quercus Jovi dicata fuit dicente *Virgil. 3. Georgic.*

Sic ubi magna Jovis antiquo robore quercus.

D Immò, ut quidam tradunt, antiqui ipsum Jovem quercinum vocabant, quia sicut quercus olim victum hominibus dabat, ita Dei proprium esset omnibus alimenta præstare: & cùm quercus dicatur à quærendo, quia in eis responsa dæmonum quærebantur, teste *Isidoro lib. 17.* Unde *Oseas* de Idolorum cultoribus agens, *cap. 4.* Accenderunt, inquit, thymiamata sub quercu: Immò & *Isa. cap. 44.* testatur, quandoque illos ex quercu sibi fabricasse sculptilia. Inde sanè efficitur, quod ut diabolus in eodem genere ligni, in quo vincebat, vinceretur, congruum fuit Dominicam Crucem ex quercu fabricari, ut hac etiam ratione in majorem Diaboli ignominiam, & Christi gloriam Crucis lignum cederet.

Quod si antiqui etiam, ut securitatem significarent, Aquilam super quercum depingebant, cum hac inscriptione, Requies tutissima, aptè satis ex quercu Dominicam Crucem confici voluit divina sapientia, imponens super illam regiam Aquilam, Christum scilicet Dominum, de quo dictum est *Deut. 23.* Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & cum inscriptione illa, Jesus Nazarenus, quæ cùm Salvatorem
E significet, perindè fuit, ac si illam aliam apposuisset, Requies tutissima, quia proprium est Salvatoris, tutari, & requiem oppressis exhibere.

* CHRISTUS CUR CRUCEM *Præ aliis suppliciis elegerit.*

Omnium, qui cruce perierunt, nemo majore ludibrio affectus est, nemo pluribus tormentis afflictus, nemo frequentioribus plagis mutilatus, quam intemeratæ virginis innocens filius Christus Jesus. Nulla in eo peccati scintilla reperta est, nihil deliquit unquam, mundus ex munda matre natus est: mundè vixit, justitiam, & æquitatem verbo semper, & opere docuit. Neque tamen puduit verpos illos, & recutitos canes, livore, & invidia tabescentes, causam machinari, quæ eum morti traderent. Quam licèt nullam reperissent, corpus tamen primùm flagellis laceraverant, frontem corona spinea perforaverunt, faciem immundis deformaverunt sputis, colaphis immanibus totum caput contuderunt, latronis more vinxerunt, vinctum ad majorem ignominiam traxerunt compitatim, & ad extremum inter latrones veluti latronem suspenderunt. Quod cùm ad mortem non putarent sufficere, manus, & pedes clavis, latus lancea confoderunt. *Matt. 26. 27. Marci 14. 15. Luc. 22. 23. Joan. 18. 19.*

Illum ego de Lybica natum jurabo leæna,
Arcadicasque inter delituisse lupas:
Cui tua crux lacrymas non moverit, ô bone Christe,
Ille erit, & ferro durior, & chalybe. Ravisius.

Cur autem Christus Dei filius mundi salutem operaturus tam insame supplicium elegerit, pertinet ad profundam divinorum consiliorum abyssum: variæ tamen rationes à DD. allegantur.

Prima est B. Anselmi, ut Diabolus, qui per gustum ligni quem suaserat, hominem vicerat: ita & per passionem ligni quam intulit, ab homine vinceretur. *Lib. Cur Deus homo, c. 3.* quod apposite in hymno suo Fortunatus Episcopus expressit:

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret, &c.

Ejusque rei figura fuit Aman suspensus in ligno, quod Mardochæo paraverat.

2. Ratio, ut obedientia sua Adæ inobedientiam deleret. Oportebat enim, ait iterùm Anselmus, ut sicut per hominis inobedientiam Mors in genus humanum intraverat, ita per obedientiam hominis vita restitueretur. Vide *August. ser. 4. in Append. de diversis. Paulum Rom. 5.*

3. Qui *Ser. de pass. Dom.* addit aliam, consultò elegisse Dominum in Cruce perire, ut in aere moreretur, & ita sublimatus aerem ab omni potestate diabolica purgaret. Cui consentit *Chrysostomus de Passione Domin.* In excelso ligno, & non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundaretur. Siquidem aer medius inter cœlum, & terram, Christum significat mediatorem inter Deum, & hominem: Et sicut aer omnibus est communis, ita illius mors omnibus extitit communis. Pacificavit enim per sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Ad Coloss. cap. 1.*

4. Ratio est *S. Greg. Nazianz. Ambros. Chrysost. serm. 8. de Pass.* & aliorum, dicentium quod hoc velut amoris signo ostenderit, manus, pedesque in Crucem ad omnem mundi plagam extendendo, velle se omnes omnino ad se trahere, & in gremium Ecclesiæ recondere. Juxta illud *Joan. 12.* Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

5. Ratio sit, quòd cùm venisset, ut omnes à maledicto legis eriperet, ac seipsum pro nobis, ut Apostolus loquitur, maledictum constituerret, voluerit in Cruce mortem oppetere, ut cujus supplicium maledictum fuit declaratum. Ita *Athanas. de Incarnat. verb. Dei.*

Alias plures, sed pias magis, quàm proprias, videre est apud varios Authores, pia quadam investigatione eas perquirentes. *Augustin. tom. 10. oper. Appendice de diversis, serm. 59. Athanas. & Gregor. supra.* Item *August. serm. 7. de verbis Apostoli. Joan. à Carthag. Tom. 1. hom. 24. lib. 10.*

* S. CRUCIS FIGURÆ.

A Nulla penè est Creatura visibilis, cui hujus signi character aut significationis nota non sit indita.

Universum hoc totum quatuor partibus constans, quatuor quasi crucis angulis continetur, ut loquitur. *S. Ambros. Ser. 56. de Cruce tom. 10. 6.* Et Hieron. Ipsa species Crucis quid est nisi forma quadrata Mundi? *Inc. 11. Marci.*

In Cælis etiam ipsis plures Crucis figuras exhibuit Deus, utputa in Coluris, Tropicis, & aliis, quæ in eorum circumferentia in modum Crucis intersecantur.

In Zodiaco quatuor puncta, sive signa etiam Crucem repræsentant, nempe signum utriusque Æquinoctii, Solstitii, & Brumæ. Idem in firmamento, Planetis, & Stellis reperitur ut notavit. *Bosius suprà l. 2. c. 3.*

Ipse etiam Homo multiformem Crucis formam defert. In primis in ipsa facie, oculi & supercilia cum naso usque ad frontis summitatem. Idem si pedibus junctis brachia expandetit, Crucis figuram invenies. Ita *Justinus Martyr in Apolog. Secunda, Sanctus Maximus Serm. 54.*

Apud *Bosium* denique pleraque animalia, & plantæ, recen-
B sentur etiam crucis figura adornatæ.

FIGURÆ VETERIS TESTAMENTI S. CRUCIS.

Pretiosam Crucem ait *S. Joan. Damascenus*, præfiguravit Vitæ Lignum, quod in Paradiso plantatum est à Deo *l. 4. Orthodox. fid. c. 12. Cyrill. Alex. l. 8. in Joan. c. 17.*

Fluvius irrigans Paradisum, qui in quatuor capita dividitur, nempe ad irrigandum quatuor orbis partes. *Ambros. de Paradiso.*

Lignum, ex quo fabricata legitur Arca Noe, etiam Crucem adumbravit, teste eodem *Ambrosio lib. de his, qui initiantur, cap. 3.*

Deus Abrahæ priusquam pereginaretur, dixit, ut oculos levaret, & quatuor mundi plagas intueretur, ut sic quasi Crucis imaginem formaret. *Gen. 13.*

Abrahæ filius Isaac offerendus propriis humeris tulit ligna, in symbolum Crucis Dominicæ: quia eamdem Christus sibi bajulavit. *Origen. in Genes. c. 23. hom. 8. Cyrill. Alex. lib. 8. in Joan. c. 7. Chrys. hom. 47. tom. 1.*

C Scala, quam Jacob vidit: baculus, quo Jordanem transmisit: Virga per quam admiranda illa operatus est Moyses: Virga Aaron, quæ floruit: Rubus incombustus, quem Moyses vidit: & pleraque alia typum vivificæ crucis exprimunt. De quibus multa piè, & devotè veteres.

Illustris autem inter alias figura fuit, Serpens Æneus in deserto erectus Dei jussu, ipso salvatore Crucifixo teste, & præcone. *Num. 21.* Cujus typum, & significationem plerique SS. PP. exponunt. *Justin. Martyr Dial. cum Triphone. Cyrill. Alex. l. 8. in Joan. c. 17. Damasc. de Imag. Joan. Chrysost. hom. 16. in Joannem*, & plures alii.

* VATICINIA.

Jacob Patriarcha filiis benedicens, & sermonem ad Judam dirigens, ait, Catulus Leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti: nempe ut exponit *Ambros.* in Crucem! requiescens scilicet in morte, accubuisti ut Leo, &c. *Gen. 49. Ambros. in c. 31. Prov. c. 2.*

Item totus Psalmus 21. de passione Domini nostri, & my-
D steriis Crucis loquitur.

Isaias de Christo scribens, Factus, ait, est principiatus super humerum ejus. Ubi Glossa; dum duceretur ad supplicium portavit Crucem, per quam meruit principatum. Et eleganter scribit de hoc vaticinio *Justinus Martyr ad Imp. Antoninum. Isaiæ c. 9.*

Iterùm: Et levavit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, *Isaiæ c. 11.* quem locum *Procopius in Glossa, & Hieron. l. 4. in Isaiam*, intelligit de Cruce. *Isaiæ 63.* & alibi plura hujus rei testimonia à veteribus applicantur.

Jeremias dicit in persona Christi: Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad Victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Venite mittamus lignum in panem ejus, &c. quam illustrem Prophetiam Patres deducunt ad S. Crucis significationem. *Jerem. cap. 11. Lactantius l. 4. divin. Instit. cap. 18. Tertull. adv. Judæos cap. 10. Ambros. in Psal. 35. tom. 2.*

Apud *Ezechielem* in littera Tau luculentam figuram habe-
E mus *c. 9.* ubi dicit, ostensam sibi visionem quorundam virorum transeuntium per Civitatem in medio Jerusalem, qui jubebantur signare Tau in frontibus gementium, & dolentium super cunctis abominationibus. Et signatis eo signo parcere, reliquos internecioni tradere. De hac visione, & figura *S. Cyprianus* scribit *libello ad Demetrian. Proconf. Rup. Abbas l. 5. cap. 27. in Ezech.*

Sibyllarum etiam carmina Crucis meminerunt, in qua suspendendus erat Messias, ac nominatim Sybillam Erythræam carmen scripsisse ferunt, cujus initiales literæ erant. *Jesus Christus Dei Filius, Servator, Crux*, & habentur *lib. 8. Sybyll. oraculorum, & l. 7.* legitur hoc carmen.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

☞ *Vide infrà, Crucis Triumphus.*

* CHRISTI CRUCIFIXI TRIUMPHUS.

Sive Catalogus illorum, qui Christum imitati, & Crucis
F *supplicium perpessi, pro fide sanguinem fuderunt. Secundùm ordinem Martyrologii Romani per menses digestus.*

Sanctus Petrus, qui & balsamus dictus, in civitate Aulonæ, Maximiano Imperatore, à Præside Severo detentus, & in cruce post diros cruciatus verberum suspensus. Historiam transtulit *Anastas. Bibliothec. & Martyrolog.* meminit 3. Januarii.

MAROCCI in Africa. Petrus Helius anno Christi 1580. à Mauris captus, quòd Christianam Religionem profiteretur, & ad eam alios hortaretur, jussu Regis, lingua prius exsecta, ad portæ cujusdam valvas in modum Crucis affigitur. *Ex Epistolis Indicis.*

VINCENTIUS Levita Valentiæ sub Daciano Præside post innumera tormenta Cruxi affixus, ubi ejus latera comburebantur, efflavit animam, *Metaph. Sur. Prudentius. 2.* περὶ στεφάν. *22. Januar.*

SS. PNENGHON, & Eucarpus milites, cum SS. Clementem, & Agathangelum in calcaria fornacæ asservarent, miraculis, & colloquiis eorum permoti, abdicata Deorum
G gentilium fide, in Crucem acti, martyrium subierunt Ancyræ sub Maximiano. *Metaphrast. apud Surium, 23. Januarii.*

PIONIUS Presbyter Smyrnæ sub Decio clavis cruci confixus, & candenti rogo superimpositus, diem suum obiit. *Eusebius Cæsariens. lib. 4. histor. Ecclesiast. cap. 14. Metaphrast. 1. Februarii.*

THEODORUS Dux apud Heracleam in Ponto, Licinii Imp. jussu, quòd idola comminuta in pauperes erogasset, crucifixus, & capite truncatus, migravit ad Christum. *Auganus scriba, qui interfuit. Niceph. l. 7. cap. 44. Baronius tom. 4. Surius 7. Februarii.*

THEODOLUS gravis, & religiosus senex è familia Firmuliani Præsidis, martyrum exemplo accensus, Cruci affixus est Cæsareæ in Palæstina sub Diocletiano. *Euseb. Cæs. lib. 6. c. 21. Martyr. 18. Februar.*

SIMEON Episcopus Jerosolymitanus; Cleophæ filius, & Salvatori nostro, ut placet Hieronymo, affinitate conjunctus, annos agens 220. Crucis mortem in suo Episcopio sub Trajano perpessus. *Euseb. l. 3. hist. Eccles. cap. 26. Baron. tom. 1. an.* H *76. Martyr. 18. Februarii.*

Tyri in Phœnicia aliquot Christiani acerbissimam necem Diocletiani Imp. pertulere, quorum nomina Deo nota. *Euseb. hist. Eccles. l. 2. cap. 25. Mart. 20. Februar.*

NESTOR Episcopus Pergæ in Pamphilia, jussu Pollionis Præsidis in Crucem actus, reddidit spiritum. *Antiqua Martyrol. 24. Februarii.*

Tres invicti Christi milites, Maximiano Imp. sub Asclepiade Præside, pro fide Christi decertantes, martyrium Crucis affixione subierunt. *Ex Græcis tabulis, Martyr. Roman. 3. Martii.*

TROPHIMUS, & Thalus, Laodiceæ in Syria sub Diocletiano crucis supplicio affecti, *Martyr. 10. Martii.*

Dismas Ægyptius, latro ille, quem à dextris Christi suspensum tradunt cum Grysma socio, in Deum credens, promissam ab eo beatitudinem est consecutus. *Ambros. Serm. 49.*

& 50. *Chrysostom. hom. de Cruce, & Latrone, Martyr.* 25. A *Martii.*

Calliopius Virgo Pompejopoli in Cilicia sub Maximo Præfecto, post varia tormentorum genera pro Christi nomine tolerata, capite inverso, poscente id pia matre Theoclia; instar Apostolorum Principis cruci clavis affixus, in suæ matris amplexum, quæ eum postmodùm sequuta est, extinctus est. *Surius Metaphr. 7. April.*

Macarius Patriarcha Antiochenus à Judæis Serrazenis in terram ad crucis modum extenditur, clavisque configitur, quamvis terra clavos reiiciente, alio mortis genere obierit. *Surius 10. April.*

Timon unus ex 7. Diaconis ab Apostolis electus, ut habetur *c. 6. Actorum.* Primus apud Beroeam Evangelium prædicavit, inde Corinthium veniens, à Judæis, & Græcis cruci affixus interit. *Beda, Usuardus, Ado, Martyrolog. 19. April.*

Alexander, Lugduni in Gallia, quod Christianus esset, comprehensus, sub Antonino Vero Imp. in crucem actus. *Baron. tom. 2. Martyrol. 24. April.*

Philippus Apostolus à Scythis, quibus fidem annuntiavit, comprehensus, & spreto Idolorum cultu, postquam multos B Christo peperisset, ab infidelibus cruci suffixus fuit, anno Christi 44. *Baronius tom. 1. Hippolitus, & alii. Martyrolog. 1. Maii.*

Timotheus apud Thebaidem Ægypti, multis pœnis superatis, ab Ariano Præfecto unà cum conjuge cruci confixus, novem dies in ea permansit. *Baronius tom. 2. Martyr. 3. Maii.*

Venantius in agro Piceno, Decio Imperatore 15. annorum adolescens, capite inverso cruci affixus, tandem gladio est interemptus. *Mar. Marulus lib. 5. de rat. vivendi cap. 12.*

Lucillianus ex Idolorum cultu ad Christum conversus, à Sylvano sub Aureliano Imper. Constantinopoli crucem subiit. *Metaph. & Menolog. 3. Junii.*

Lycarion Ægyptius apud Hermen crucifixus, membratim in ea cæsus est. *Martyr. 7. Junii.*

Hieramus senex in Japonia anno 1589. inter Crucis amplexus obtruncatus, Regis jussu die illucescente Cruci affixus est. *Ex litteris Japonicis.*

Exercitus decem millium militum, sub Hadriano Imperatore apud Alexandriam, quod Christi fidem tenaciter amplecterentur, eadem tormenta sustinuerunt. Virgis enim cæsi singuli, ac spinis coronati, tandem humi in monte Ararath C crucifixi, proprio sanguine baptizati fuerunt. *Sanct. Anton. in Chron. Vincent. in Spec. histor. lib. 11. cap. 98. Martyrolog. 22. Junii.*

Romæ sub Nerone innumeri Apostolorum Discipuli supplicio Crucis necati, mortem oppetiere. *Baron. tom. 1. Martyrol. 22. Junii.*

S. Petrus Apostolorum Princeps, Neronis jussu in Mamertinum carcerem conjectus, multis ibidem regeneratis, tandem capite inverso, ipso id postulante, apud montem Aureum est crucifixus. *Egesipp. de Excid. Hierosol. l. 3. Baron. tom. 1. Martyrolog. 24. Junii.*

S. Actius Dyrrachii in Macedonia Episcopus, sub Trajano cruci affixus. *Martyr. 7. Julii.*

Apollonius Iconii sub Petennio Præside. *Metaphras. 10. Julii.*

Faustus Decio imperante Cruci affixus, & telis confossus. *16. Julii.*

Octo Christiani, quorum nomina recenset *Beda*, Carthagine imperante Severo, in ligno confixi. *Baron. tom. 2. Martyrolog. 17. Julii.*

D S. Sixtus Papa Romæ sub Decio, & Valeriano Imp. in Tullianum carcerem conjectus, tandem crucifixus. *Prud. in Hymno 2. de S. Laurentio. Martyr. 6. Aug.*

Marinus senex sub Diocletiano in Cilicia. *Martyrolog. 8. Augusti.*

Liberatus abbas, Bonifacius Diaconus, Servus, & Rusticus Subdiaconi, Rogatus, Septimus, & Maximus puer sub Hunerico Vandalorum Rege in Africa.

Leontius, & Carpaphorus Medici Aquilejæ: sub Diocletiano, & Maximiano Imperat. *P. de Natal. in Catal. lib. 7. cap. 87.*

Zoticus in Ponto, Maximiano Imperatore. *Menolog. 22. Aug.*

Claudius, Asterius, & Neon fratres in Cicilia sub Diocletiano crucifixi sunt. *Ado Episc. Viennens. Baron. tom. 2. Martyr. 23. Aug.*

S. Bartolomæus per Licaoniam verbo Dei disseminato, & templo Astaroth vero Deo dedicato, Rege etiam Polemio Baptizato, comprehensus sub Rege Astiage, crucique E suffixus, è vivo corpore detracta pelle, tandem capitis abscissione migravit ad Christum. *Nicephor. l. 2. c. 39. Martyrolog. 25. August.*

Novem Christiani crucifixi, quorum meminit *Martyr. 2. Septemb.*

Theodorus miles apud Pergen Pamphiliæ, pro fide Catholica crucifixus, triduo superstes, vitam finivit. *Niceph. l. 6. c. 45. Martyr. 20. Sept.*

Paphnutius Abbas Eremita in Ægypto, jussu Diocletiani in palma suspensus fuit, quasi sibi dictum fuisset, Ascende ad palmam, & apprehende fructum ejus. *Pet. Galesin. ex tab. Græcis, Sur. 26. & Metaph. 24. Septemb.*

Cosmas, & Damianus fratres medici, curandis infirmis seduli, & de fide Christi seminanda solliciti, Ægeæ in Cilicia, Diocletiano Imperatore primùm in mare demersi, post equuleum cruci affiguntur. In qua lapidibus, & sagittis impetiti, tandem gladio interierunt. *S. Antonin. in Chronico. Baron. tom. 2. Martyr. 27. Septemb.*

Petrus Episcopus Damascenus, ab Agarenorum Principe manibus pedibusque truncatis, ac lingua dissecta, crucis F patibulum ad extremum sustinuit. *Sigeb. in Chronico hist. miscell. l. 22. Martyr. 4. Octob.*

SS. Marcus, & Marcianus fratres, unà cum aliis in Ægypto sub Maximiano crucibus affixi. *Eusebius l. 8. hist. Ecclesi. cap. 8.*

Sanct. Dionysius Areopagita à D. Paulo conversus, Parisiis in Gallia cæsus, ferisque objectus, tandem in crucem actus fuit, è qua rursus sublatus, capitis abscissione, quod tamen ad duo millia passuum propriis manibus exceptum gestavit, occubuit. *Baronius tom. 2. & in notis ad Martyrolog. 3. Octobris.*

S. Vitalis primùm famulus, mox consors martyrii S. Agricolæ, Bononiæ sub Diocletiano in crucem actus. *Beda V. Cal. decemb. Amb. exhort. ad Virgines.* Etiam Agricola eodem mortis genere vitam finivit. *de Natal. l. 10. c. 21. Greg. Turon. l. 2. c. 16.*

Decem Martyres in Oriente, Antiochiæ à Saracenis crucifixi, sub Cosrhoe Rege. *Ado in Martyr. 6. Nov.*

Philomenus jubente Aureliano Imperat. cruci affixus, & capite clavo perterebrato obiit. *Baron. tom. 2. Martyrol. 29. Novemb.* G

Gemellus sub Juliano Apostata Ancyræ in Galatia, crucifigitur. *Metaphrastes, Menolog. & Martyrol.*

S. Andreas Apostolus, in Achaja disseminato Christi Evangelio, à Præside Ægea in crucem decussatam actus, biduum in ea superstes permansit. De quo memoriæ proditum, quod eam intuitus, quasi sibi gratulabundus exilierit dicens: O bona Crux, suscipe me discipulum ejus, qui in te pependit, per te me recipiat, qui per te me redemit. *Omnia Martyrol. Nicephor.* & alii die 30. Novemb.

Nostro sæculo in Gallia in urbe Houdan, Sacerdos quidam Diœcesis Carnutensis protractus ab Hugonottis ad missam celebrandam per subsannationem, tandem per eosdem super ligneam Christi imaginem cruci affixus, sclopetis interemptus fuit. *Theatr. crudelit. nostri temp.*

Alponsus à Castro Lusitanus è societate Jesu, ad Moluccas insulas disseminandi Evangelii causa profectus, à Mauris captus, antennæ navis ad formam crucis affixus traditur. *P. Maffejo in hist. Indicis.*

Dignus, qui prioribus annumeretur Lambertus N. consul Harlemensis in Hollandia. Hic initio tumultuum Belgico- H rum, quos novum Evangelium ceu fructus præcoces peperit; in vincula à rebellibus Deo, & Regi Calvinistis conjectus, quod Catholicæ Ecclesiæ authoritatem defendere, tandem patibulo per sententiam adjudicatus, Quid inquiebat, exticescimus crucem? Etenim si Dominum gloriæ crucifixerunt, qui nobis ejus servis expectandum? *P. Opmer. in Martyr. Holl. mmis. Laur. Beyerl. in Apophth. Christian. Tit. Crux.*

Nangasachi in Japonia sub Taicasama, sex fratres ex familia S. Francisci, Petrus Baptista, Martinus, Franciscus, Philippus, Consalvus, Franciscus, & tres Societatis Jesu, Paulus, Jacobus, Joannes, quòd in Insula Japonia Evangelium disseminarent; & septendecim Laici, quòd Christiani essent facti, Aloysius puer anno 12. Paulus, Leo, Cosmus, Paulus, Michael, cum Thoma filio anno 25. Antonius anno 13. Joachimus, Franciscus Gabriel, Thomas, Matthias, Ventura, Petrus, & Franciscus, jussu Taicosamæ Japonensium Tyranni, sinistræ auris particula truncata priùs sin- A guli singulis crucibus affixi, muctone dextero latere transverberati, martyrii palmam sunt consecuti. *Extat historia, & refert Bartbol. Riccius in Triumpho Christi.*

Exempla Fæminarum.

SS. Martha, & Maria sorores, Christi sponsæ, in Græcia, cùm se ultrò hostibus interficiendas obtulissent, in crucem actæ sunt. *Ex Menolog.*

S. Eulalia Virgo annos XIII. nata, cùm falsos Deos venerari abnueret, post dirissima tormenta, jussu Daciani Præsidis, Barcinone in Hispania crucifigitur. *Eulogius in Mem. Sanct. lib. 1. Baron. tom. 3.*

Tarbula soror S. Simeonis Episcopi, & cum ea duæ ancillæ, ferris per medium dissectæ, patibulis affiguntur, in Persia sub Sapore. *Sozom. l. 2. c. 11. Niceph. l. 7. c. 37.*

Maura, uxor S. Timothei, unà cum marito crucis martyrium subiit apud Thebaidam Ægypti, sub Decio Imperat. *Baron. tom. 2.*

S. Blandina Virgo, cùm socias hortaretur ad pugnam pro Christi nomine obeundam, variis tormentis, etiam Crucis, B afflicta, gladio demum transfixa, migravit ad sponsum Lugduni in Gallia, sub Antonino. *Euseb. l. 5. c. 1. Niceph. l. 4. c. 18. Baron. tom. 2.*

Fredonia Virgo Sibapoli in Assyriorum finibus, Diocletiano Imp. gravissimis cruciatibus tradita, & super rogum brachiis, pedibusque extensa, & in crucem acta, evolavit ad cælum. *Surius tom. 3.*

Benedicta Virgo in agro Senonico crucis Martyrio virginitatem suam illustravit. *Ex Martyrolog. Maurolyci, Abb. Messanensis.*

Sanctæ Generosa, Bessia, Donata, & Secunda, Carthagine, imperante Severo, post Christi confessionem in lignum attractæ, crucis supplicium perpessæ sunt. *S. August. Beda, Baron. tom. 2.*

Wilgefortis Virgo Portugalliæ Regis filia, pro Christianæ fidei, & virginitatis defensione decertans, cruci affixa fuit. De qua illud memorabile est, quòd ne ab Amasio expeteretur, subito barba excreverit. *Molanus ad Usuardum.*

Gudelia in Perside sub Sapore Rege, cùm plurimos gentilium ad fidem Christi perduxisset, solique, & igni cultum de- C ferre recusaret, excoriato priùs capite, cruci affigitur. *Menolog. Martyrol. 29. Septemb.*

Anno Domini M DCII. In Japonia, Joanna, & Agnes, conjugatæ, & Magdalena vidua, sub Canzungio Fungi Regulo cruci affixæ præclarum Christianæ constantiæ exemplum præbuerunt. *Ex relat. Ludovici Corquiera Episc. Japon. ad Pontificem. 35. Januar. 1604.*

Est & alterius captivæ Carthaginensis insigne virtutis exemplum, quod *Ado Trevirensis* Episcopus publicè in Ecclesiis anniversaria die recitandum tabulis inscripsit Ecclesiasticis hisce verbis: Natale sanctæ Juliæ, quæ, cùm Carthago civitas capta esset, ducta est captiva, & sortita in servitutem devenit cujusdam Eutychii ex Syria Palæstina. Cui diligenter serviens, expleto ejus servitio, acceptaque requie, aut orationi, aut lectioni insistebat: nam & corpus suum jejuniis affligebat. Unde Dominus ejus, quamvis paganus, valdè eam admirans sæpiùs admoneret, ne taliter se affligeret. Sed illa, nec blandimentis, nec etiam admonitionibus ab hoc, quod D inchoaverat, recedebat, excepto die Dominicæ resurrectionis. Deinde contigit, ut Dominus ipsius unà cum ipsa veniret in Corsicam: & ibi, sacrificantibus aliis, cœpit & ipse diis immolare. Sed beata Julia videns errorem illorum, condolebat. Audiens quidam princeps Felix Saxo cognomine, quòd illa nollet sacrificare; quæsivit eam à Domino suo, ut tecum esset illius vice quatuor ancillis, sibi ea daretur. Cui ille pro magno ejus servitio noluit eam tribuere. Tum præfatus Felix callidè fecit Domino suo convivium, quatenus ipso & nimia potatione soporato, & ignorante, de navi ipsius eam tolleret. Quod & factum est: nam ipso insciò, ducta est beata Julia ad Felicem. Cùmque blandimentis Felix ei non posset suadere, ut sacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus torqueri, atque flagellari, ad extremum etiam crucifigi: & sic in ipso patibulo ultimum efflavit spiritum: de cujus ore sanctissimo columba exivit. Mulierem fortem quis inveniret? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. *Martyrol. Adon. & Usuard. Baron. ad annum 440. Tom. 6. Petrus in Catalogo l. 5. cap. 92. & Martyrolog. Rom. 22. Maii.*

Exempla Puerorum Crucifixorum.

Gulielmus puer, Norduici in Anglia à Judæis crudeliter in Paschate idem genus mortis perpessus, quod Christus sustinuerat, in contumeliam Christianæ religionis necatur. *Historia Anglicana.*

Richardus itidem puer Christianus, per summum ludibrium in Gallia, Philippo Augusto Rege, à Judæis Crucifixus fuit: eamque ob causam fax illa hoc Regno meritò ejecta est. *Paul. Æmil. l. 5. hist. Franc.* Corpus ejus quiescit Parisiis in Eccl. SS. Innocent. & crebris à Deo miraculis illustratur *Rigord. in vita Phil. Reg.*

Pari crudelitatis supplicio affecerunt Judæi Hugonem quendam puerum, Lincolniæ in Anglia. *Historia Anglicana.*

Christophorus puer octennis in Hispania apud Guardiam propè Toletum, omnia Christi Domini tormenta à Mauranis sigillatim perpessus fuit, Ferdinando Rege. *Historia servatur in actis sacrorum Quæsitorum.*

Carthagine in Africa, Maximus puer, cum aliis, quorum supra meminimus, inter exempla virorum 17. Augusti, ad navis cujusdam antennam sub Hunerico Rege, in crucis F modum alligatur. *Victor Uticensis de persecutione Vandal. l. 3. Martyr. Rom.*

Anno Christi M.CCCC.LXXV. Tridenti, Simon quidam puer 26. menses natus, à Judæo raptus, ut victima in Paschate offerretur, post dirissima tormenta in crucem suffectus, interiit. *Martyr. Rom.*

In loco quodam inter Chalcedonem, & Antiochiam Syriæ sito, Judæi ludicra quædam pro more ipsorum celebrantes, ac inter ludendum multa absurda designantes, temulentia abrepti, & Christianos, & Christum ipsum in ludis suis proscindunt, & irridendi gratia Crucem, & eos, qui super Crucifixo planxerunt, tale quid fingunt: Puerum quendam Christianorum interceptum cruci alligant, ac suspendunt, in primum illum aliquamdiù irridentes, ac subsannantes perdurant, tandem & amentes facti puerum tamdiù verberant, donec moreretur. Eamque ob causam gravis inter eos, & Christianos oritur conflictus. Cùm hoc Imperatoribus innotuisset, scriptum est provinciæ illius præfectis, ut auctores facinoris G hujus inquirerent, ac punirent. Et hoc pacto etiam loco Judæi facinorum suorum, quæ ludendo patraverant, pœnas dederunt. *Socrates libro decimo sexto historiæ Ecclesiasticæ cap. 16.*

Vvernherus puer, pago Vvammentato, qui à Baccareto abest itinere unius diei, ortus est stirpe rustica, sed cultu sanè nobili, religione Christianus, & puritate virginea ornatus. Matrem habuit pietati deditam, sed vitricum, tum matrem, tum ipsum persequentem. Cujus ille infestum sibi animum devitans, fugam inijt, & veniens inde Trevericam Vesalium, à perfidis Judæis, ibi commorantibus, callidè sæpè ad laborem vocatus est. Ille verò promptum se exhibens puerili simplicitate, jussus est ab illis humum deportare in profundum quendam terræ locum. Adventante interim paschali solemnitate, dixit ei hospita sua: En propè est sancta parasceve: cave tibi, Vvernhere, ab impiis Judæis: alioqui sine dubio illi te comedent. Respondit puer, spem suam in Deum ponere præclarè significans: Id ve- H rò ego committo Deo. Ubi autem Dominicæ cœnæ dies adfuit, puer verè Catholicus, & Christo devotus priùs confessus peccata sua, corporis Christi communionem cum multa animi devotione percepit, eodemque die à fallacibus Judæis ad opus insidiosè invitatus est, & pellectus: ac deinde sacro parasceves die, quando Christiani omnes Christi amarissimam passionem commemorant, eique condolendo sese humiliant, in innocentem puerum animi sui furorem odio Christi Judæi sævissimi summa crudelitate effuderunt. Primò enim apprehensum puerum omni clamandi facultate privarunt, impresso in os ejus globo plumbeo: inde suspenderunt ad columnam ligneam, depresso in imum capite, sursum erectis pedibus: idque eo consilio, ut corpus Christi, eo die sumptum à puero, ex ejus corpore possent revocare, & educere. Sed cùm id frustrà conati essent, totos se contulerunt ad membrum mystici corporis Christi atrocissimè excarnificandum. Itaque multa, eaque profunda ejus corpori cum flagellis impressere vulnera: atque etiam cultro quodam, qui

hodieque apud ejus reliquias asservatur, totius corporis venas A barbara immanitate inciderunt, cum forficibus quoque summo cruciatu ex venis ejus in pedibus, manibus, collo & capite sanguinem expresserum, ita ut totus vulneribus confectus videretur. Manit autem sanctus puer sic triduo suspensus ad columnam illam, donec sanguis fluere desineret. Interim sic multis modis ab impiis Judæis vexatus, cum summa patientia, & laudibus Dei spiritum reddidit sanctus puer. *In vita ejus apud Sur. tom. 2. Aprii. 19.*

* CRUCIS CHRISTI INVENTIO.

Honor. Virtus. Triumphus.

S. CRUCIS INVENTIO.

A Quo, Et Quando Facta?

Sanctissimæ Crucis, cui Salvator mundi Chirographum; quod erat contrarium nobis, affixit, & in qua salutem nostram est operatus, Helena Constantini Imp. mater illustrata lumine fidei, quòd postquam Constantinus ejus filius baptismo initiatus fuit, accidisse, ex historiis sacris liquidò constat, B divini Spiritus afflata, cœpit, ut scribit *S. Ambrosius*, revisere loca sancta, & lignum Crucis requirere, non alium ob scopum, quàm ut eam veneraretur, & adoraret. Itaque jam plena dierum, & devotione erga Christum repleta, Jerosolymæ iter arripuit, ut loca Christi vestigiis calcata inviseret, & vexillum salutis nostræ inveniret. Accidit autem istud si Ecclesiasticis historiis fidem damus, anno post celebratum Nicænum Concilium, qui fuit salutis nostræ CCCXXVI. Imperii Constantini XXI. & Pontificatus S. Sylvestri Papæ XIII. Igitur divinis monita visionibus, beatissimum Crucis lignum sanctissima Imperatrix invenit. *Niceph. lib. 8. cap. 29. Socrat. l. 1. c. 11. Theodoret. l. 1. c. 18. & alii, Cum Baronio tom. 3. ann. 326.*

Ubi, Quomodo, Et Cujus opera.

Maximam difficultatem in reperienda Cruce, & sepulchro unde Dominus resurrexerat, sanctissimam Imperatricem habuisse ex eo colligit *Sozomenus*, quod Gentiles Christianæ religionis hostes locum ipsum ingenti aggere obruissent, & C in majorem altitudinem, quæ modo etiam cernitur, erexissent. Quippe in ipso Calvariæ monte fanum Veneris extruxerant, ejusque simulacrum collocaverant. Ut qui ad eum locum veniebant Christum adoraturi, Venerem venerati viderentur, sacerque ille locus in oblivionem veniret. Ita *Sozomen. l. 2. Histor. c. 1.*

S. Hieronymus Epist. ad Paulinum scribit, Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis, simulacrum Jovis: In Crucis rupe, statua Veneris ex marmore à Gentibus colebatur: existimantibus persecutionis auctoribus, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis, & Crucis, si loca sancta per idola polluissent.

Igitur Imperatrix non Christianos modo, sed & Hebræos ut tradit *S. Paulinus Epist. 11. ad Severum*, in consilium adhibet, antiquitatis studiosos, ab eis cognitura quonam loco Crux sancta occultaretur. Ubi ergo primùm idoneam loci notitiam assecuta fuit, magna hominum frequentia locum expurgari, & effodi jussit, potissimùm particularem illius co- D gnitionem suggerente quodam Hebræo, qui ut tradit *Sozomenus l. 1. c. 2.* in partibus Orientis morabatur, & scripto sibi ab avis relicto, loci indicium ubi Crux lateret, commonstravit. De hoc Hebræo scribit *Gregor. Turonensis*, de tempore Constantini, & Crucis inventione: Hujus tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris ejus repertum est; prudente Juda Hebræo, qui post Baptismum Quiriacus appellatus fuit, quem *Venerab. Beda* Episcopum postmodùm factum, Jerosolymis Martyrium subiisse testatur in Martyrologio, primo die Maii, quamvis illius non meminerit *Baronius in suis Annalibus*. Et licèt indicium hujus Hebræi multum lucis demonstrando loco Crucis attulisse dicatur, nihilominus divino potius indicio repertam quàm humano, pro explorato habetur. Siquidem post insignem illam victoriam, quam divinitus accepto signo Dominicæ Crucis Constantinus reportaverat, Helena salutaribus undis expiata, demum admonita in somnis, perquirendæ Crucis studio Jerosolymam venerat.

Ergò loco Crucis purgato, altèque defosso, & Gentilium simulacris ejectis, tres Cruces erutæ fuerunt, repertusque ab eis seorsum Dominicæ Crucis titulus, cujus meminerunt E Evangelistæ.

S. Ambrosius disertè totam hujus rei historiam describit, & ex illo *Baronius*, & plerique alii, nos verba ipsius in locum præsentem transtulimus. Postquam enim egregia prosecutus est oratione laudes Theodosii Imperatoris defuncti, sanctæ Crucis historiam, quæ à S. Helena, tempore Constantini inventa est, sic describit: venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta: infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego (inquit) in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio non cernitur? Video, quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructus ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est: Tollatur ergo ruina, vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterùm vinceretis? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem: quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit: ego ejus crucem investigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur: ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum; decurrit pulverem: tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta hæret ut mulier, sed certam indaginem spiritus sanctus inspirat, eò quòd duo Latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum: sed poterat fieri; ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & invertteret. Rediit ad Evangelii lectionem: invenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi: id est, non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quæ legat, unde crucem Domini recognoscat. Invenit ergo titulum: Regem adoravit, non lignum, quia hic Gentilis G est error, & novitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo: illum qui sic ut scarabeus clamavit, ut persecutoribus suis peccata condonaret. Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Lato corde, & trepidante vestigio quid faceret, nesciebat. Pertendit tamen ad cubile veritatis. Lignum refulsit, & gratia micuit. *Ex D. Ambr. orat. in fun. Theodos. Imp. Baron. tom. 3. Annal. ad an. Dom. 225. 43.*

Miraculo Crux Christi cognita.

Cum tres pariter Cruces fuissent repertæ, & titulus seorsim ab illis, dubitatum anxiè fuit, quænam illa foret, in qua Dei filius pependisset, ne forsitan pro Cruce Domini patibulum latronis eligeretur. Verum eam dubitationem sustulit miraculum, quippe cadaveri illato cruces duæ adhibitæ fuerunt, quas mors sprevit: at ubi Tertia admota est, prodebat illius virtutem resurrectio, & ad salutaris ligni contactum, morte H profuga, funus excussum, & corpus erectum est, tremefactisque viventibus stetit mortuus, & funeribus, ut quondam Lazarus; vinculis expeditus, illicò inter spectatores suos redivivus incessit. *Paulinus epist. 11. ad Severum Ruffinus Aquilejensis, Severus Sulpitius.*

Cæterum *Ruffinus Aquilejensis l. 1. histor. c. 7. & 8.* refert, Macarium Jerosolymorum Episcopum, factis Deo precibus, in conspectu Imperatricis singulas Cruces cuidam fœminæ gravi morbo laboranti admovisse, eamque ubi tertia adhibita fuerat, integræ sanitati restitutam, pristinas vires recepisse. Hujus etiam meminit *Breviar. Rom.*

Vener. autem *Beda l. de locis sacris* tradit columnam excelsam esse positam eo loci, ubi mortuus, de quo paulò ante, resuscitatus, additque, columpam illam æstivo tempore umbram nullam facere. Unde colligunt Jerosolymam in medio esse terræ.

Quæ Deinde Circa Crucem Gesta.

Helena inventa salutari Cruce, magnificentissimam ibidem Ecclesiam extruxit, in qua magnam Crucis partem argenteis

gentes thecis inclusam reposuit: alteram partem Constantino A filio transmisit, quæ Romæ reposita fuit in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem in ædibus Sessorianis, quod tamen solùm de aliqua illius parte intellexerim, nam *Socrates* tradit, aliam illius partem à Constantino Imp. fuisse ipsiusmet simulacro, quod Constantinopoli in foro collocabatur, inclusam, existimabat enim Imperator, eam urbem salvam, & incolumen fore, ubi tantus thesaurus servaretur. *Theodoretus lib. 1. c. 18. Socrates l. 1. c. 13. Sozom. l. 1. c. 1. Baron. tom. 3. Annal. ann. 326.*

* CRUX CHRISTI HONORATA.

Per templorum erectionem.

Præter magnificum illum templum, quod Helena construxit, in loco ubi S. Crucem invenerat, Constantinus Romæ etiam valdè splendidum extrui curavit, in quadam parte atrii Sessoriani, eversto Veneris, ac Cupidinis templo, quod ibi vicinum erat. *Damasus Pont. in vita S. Sylvestri.* Hoc autem templum sub nomine S. Crucis in Hierusalem, unum est ex septem Templis urbis Romanæ, estque pretiosis reliquiis SS. Crucis, atque aliis deinde locupletatum. *Onuphr. Panvin. de* B 7. *Ecclesiis.*

Splendidum insuper templum in honorem S. Crucis extruxit idem Constantinus Hierosolymis in media urbe, quod ut tradit Euseb. Cæsariensis, sumptuosis insignibus exornavit. *Orat. de laud. Const.*

Piissimi Imperat. pium institutum certatim inyitati maximi Principes, Ecclesias, & oratoria in honorem Crucis erexere.

Inter quos Hilarius Papa anno 124. post Constantinum, Oratorium baptisterio basilicæ Constantinianæ, quam nunc S. Joannis Lateran. vocant; adjunxit, & argento, & pretiosis lapidibus incrustavit.

Aliud præterea Oratorium in S. Crucis honorem propè baptisterium Basilicæ S. Petri extructum visitur, & à Symmacho Papa ædificatum autumant omnes penè cum *Anast. Bibliotb. In vita S. Symmachi.*

Per Festorum Institutionem.

Ex quo S. Helena Crucem uti præmissum est, invenit, deinceps in universo orbe Christiano variæ illius festivitates institutæ, quarum primaria in Ecclesia Latina est, festum Inventionis ejusdem, die tertia Maii. Estque perantiquum, ac S. Gregorii temporibus celebratum, ut apud quem ea ipsa horis commendata reperitur. *Tom. 1. l. c. 42. de S. Cruce.*

Aliud insuper festum in honorem S. Crucis est festum Exaltationis ejusdem, quod ab ipsa Imperatrice Helena institutum, *Niceph.* tradit *lib. 8. cap. 28.* Et servatur à Græcis æquè, ac Latinis. Ideòque hoc die Hierosolymis summa cùm majestate ab Episcopo ea Crucis pars, quæ ibi servabatur, quot annis conspicienda exhibebatur, & ab omnibus adoranda, ut dicemus infrà.

Nihilominus Ecclesia hoc festum potissimùm celebrat in memoriam exaltationis S. Crucis, quam fecit Heraclius Imperator devicto Cosroe Persarum Rege, qui extremis Phocæ Imperat. temporibus, Africa, & Ægypto occupata, multisque cæsis Christianorum millibus; Etiam Jerosolymam invasit, Crucemque ab Helena in monte Calvariæ collocatam ab- D stulit in Persidem. Tandem Heraclius ad Deum oratione, & jejunio conversus, ejus monitu exercitum comparat, tres Cosroe duces cum tribus exercitibus fugat, & tandem cum Sinochio filio ejusdem, qui & patrem, & fratrem trucidaverat, pacificitur, atque id inter alia, ut Crux Domini restitueretur. Ergo Crux, quæ annis XIV. fuerat in Persarum potestate, recepta est, & per Heraclium, qui dulce onus suis humeris portabat, in montem Calvariæ restituta. Quod factum illustri miraculo comprobatum fuit. Heraclius enim ut erat auro gemmisque turgidus, sistere in porta Civitatis coactus fuit, cùmque & ipse, & quotquot aderant, obstupescerent, Zacharias antistes. Vide, inquiebat, Imperator, ne regio hoc ornatu parum in ferenda Cruce Jesu Christi paupertatem imiteris. Itaque Heraclius deposito ornatu, ac plebejum amictum sumens, reliquum viæ nullo negotio confecit. Atque exhinc exaltationis S. Crucis solemnitas, quæ quotannis celebrabatur, illustrior ob hujus rei memoriam haberi cœpit. *Breviar. Roman. 14. die Septemb.*

Idem Imp. Constantinus legem sanxit, qua omnes feriatas festas per annum, sive dies, quos Veneris vocamus, S. Cruci sacras voluit. *Euseb. lib. 4. c. 18. Sozom. l. 7. c. 46.* & alii. Hinc Ecclesia Latina eiisdem diebus commemorationem S. Crucis E facere consuevit, estque pia consuetudo apud plures eundem per jejunium celebrandi.

Certè dies veneris sanctus, quem parasceve, id est, præparationem dicimus, semper summo honore Ecclesia fuit prosecuta, atque eam venerationem ab Apostolo Paulo institutam, testis est *Sanct. Joannes Chrysostomus homil. de Cruce & Latrone.*

Per adorationem.

Partes illas salutiferæ Crucis, quas cùm Jerosolymis, tum Romæ, ex dono Helenæ Imperatricis habebant, olim populo propositas, & ab eodem adoratas, pro comperto habemus.

Siquidem ter in anno Jerosolymis per Episcopum innumerabili hominum multitudine confluente, ex edito loco, maxima solemnitate, & devotione ostendebatur à circumstantibus adoranda theca illa argentea, cui partem Crucis Helena inclusserat. Idque in solemnitate Paschali, die exaltationis S. Crucis, ac per octavam festi, & in media Quadragesima. *S. Paulin. supra, Sophron. in de S. Cruce.*

Etiam Constantinopoli, tribus diebus ante Pascha, ea S. Crucis pars, quam Constantinus ibi donarat, ostendebatur. De F quo legatur *Beda c. 20. de locis Sanctis, Tom. 3.*

Insuper Romæ in Lateranensi Basilica, die Exaltat. S. Crucis, propalam consuevit proponi portio illa, quæ à Sergio Papa inventa fuit in sacrario Basilicæ S. Petri: populo adoranda, & exosculanda. *Anastas. Bibliothecar. & Ado Treviren In Martyrol.*

CRUCIS CHRISTI ADORATIO.

* Crux Christi.

An, & quo cultu adoranda.

Hæreticorum errores varii. Primi generis.

Primus, qui negavit Crucem Christi adorandam, fuit Claudius Taurinensis Episcopus, tempore Lud. Pii, & Caroli Calvi, circa ann. 800. nostræ salutis. *Ivo Carnotens. in Chron. Jonat. Epis. Aurelian.*

Eumdem errorem secuti sunt Pauliciani, ita dicti, à quodam G Paulo, & Joanne eorum magistris. *Euthym. in Panoplia, tit. 21.*

Tempore D. Bernardi eamdem hæresim docuit Petrus Bruis, contra quem scripsit *P. Cluniacensis* epistolam, quæ habetur initio suorum operum.

Wicleffitæ motuo suo Magistro, hunc errorem aliis addiderunt, ut refert *Vualdens. tom. 3. c. 160.*

Nostro tempore eum suscitarunt Calvinus, & *Centuriatores.*

Hæresis secundi generis.

Secunda fuit hæresis Armeniorum, qui Crucem venerabantur, sed prius lotam, & sanguine sacrificii unctam, clavoque transfixam, nisi enim hæc fierent, Crucem habebant ceu rem immundam. *Euthym. Panopl. tit. 20. c. 14.*

Hæresis tertii generis.

Tertia fuit Hæresis Fausti Manichæi, qui volebat omnem arborem adorari propter memoriam Crucis Christi. Unde nec fructus, nec poma ex arboribus colligebant. *Vualdensis tom.* H *3. capite 160. Augustin. libro vigesimo cont. Faust. c. 11.*

VERITAS CATHOLICA.

Cùm Christus Crucem pro peccatis nostris spontè elegerit, tanquam altare summi sacrificii, quo Deus placaretur: ut scalam sibi ipsi ad regnum: Instrumentum liberationis generis humani, quo etiam dæmonem superavit: sequitur, Crucem illam veram mirificè à Deo honoratam, ac omnibus amabilem, & venerabilem esse debere. Pro quo faciunt miracula in ipsius inventione patrata, & usus Ecclesiæ jam à temporibus Constantini Imper. Legatur *Card. Bellarm. lib. 2. de cultu Imaginum, cap. 27.* Vasquez *de adorat. lib. 3.* & alii, qui ex proposito fieri controversa tradiderunt.

Per dispensationem particularum veræ Crucis, & reverentiam erga illas.

A Non solùm ab universo Orbe Crux adorata, sed quicunque, vel minimam illius festucam habere poterat, summi thesauri loco reputabat, sic ut auro, gemmisque inclusam etiam collo gestarent. *Joan. Chrysost. adverf. Gentiles, demonstrat quod Christus sit Deus. Paulin. Epist. 34. ad Macarium.*

☞ *Vide plura infrà, hoc eodem Tit.*

Ex ligno Jerosolymis in vento totum mundum, repletum, scribit *Cyrill. Hierosol. Catech. 10. & 13.*

Constantinus Imp. ut supra dictum est, particulam statuæ suæ in foro Constantinopolitano inclusit. *Paul. Diacon. l. 11. rer. Rom.*

S. Paulinus, cùm particulam S. Crucis de manu Melaniæ nobilissimæ fœminæ eidem donatam à Joanne Episcop. Jerosolymitano, dono accepisset, illud per medium fecuit, & Tharasiæ conjugis suæ nomine illius medietatem Severo, & Bassulæ socrui suæ magna narratione transmisit. Videatur *Epist. 11.*
B *ad Severum.*

Macrina soror Gregorii Nysseni, ita de ea ipse testatur, solita erat ad collum gestare Crucem argenteam, cui fructulum Crucis inerat. *In vita Sororis.* De quo rursus infra, ubi de Cruce collo suspensa.

Idem *S. Paulinus* scribit, quòd incendium maximum, ostensa dumtaxat Crucis particula restinxerit. In *Natali S. Felicis.*

☞ *Vide infra sub tit. miracula Crucis.*

Apametæ, ut scribunt *Evagrius & Procopius*, magno in honore erat particula S. Crucis, eamque populus sibi voluit ostendi, cum jam diù Civitas obsessa foret, & jamiam videretur capienda. Ut nempe conspecta Cruce, fortius, & alacrius morerentur. *Evagr. l. 4. hist. c. 26. Procop. l. 2. de bello Persico.*

☞ *Vide infra.*

Gregorius l. 7. Epist. 126. ad Recharedum Visigothorum Regem mittit particulam Crucis tanquam eximium donarium.

Quod fecit sancta Helena pro ligno S. Crucis in Oriente, hoc fecit B. Radegundis in Galliis. Sed quia nihil sine consilio facere voluit, quamdiù vixit in hoc mundo, litteris ad Sige-
C bertum excellentissimum Regem datis (is est filius Clotarii Regis, qui unà cum fratribus regnavit in Galliis) petiit ab eo, ut cum ejus bona venia liceret sibi pro totius patriæ salute, & regni ipsius stabilimento, lignum salutaris Crucis Domini ab Imp. expetere. Illo clementissimè sanctæ Reginæ precibus annuente, devotione plena, cum multo desiderio ad Imperatorem munera misit, quippe quæ causa amoris Christi pauperem se fecerat. Sed sanctos jugiter implorans, nuntios suos ablegavit, Sanctorumque suffragiis, quod optabat, adepta est. Imperator enim, & beatum lignum Crucis Domini, auro & argento ornatum, multaque Sanctorum reliquias, quas oriens obtinebat, ei per legatos transmisit, unà cum Evangeliis auro, gemmisque decoratis. Ut autem salus mundi Pictavorum urbem cum sanctis reliquiis advenit, locique Antistes (is erat Morovæus) cum omni populo devotè ea vellet accipere: inimicus humani generis per satellites suos egit, ut pretium mundi repelleretur, nec illud intrà urbem vellent accipere, aliud pro alio Judaico more asserentes. Quid sanè egerint, non est
D nostrum commemorare: ipsi viderint: Dominus novit quinam rei sint. Petiit Regina Episcopum, ut cum honorem debito, grandique psallentio in monasterio locarentur: sed ille despiciens suggestionem ejus, ascensis equis, villæ se contulit. Tunc Regina iteratò ad Sigebertum Regem direxit, deprecans, ut injunctione sua quicunque ex Episcopis hæc pignora, cum illo, quo decebat honore, votumque ejus exposcebat, in monasterio locarent. Ad hoc enim opus beatus Euphronius urbis Turanicæ Episcopus inungitur. At beata Radegundis fervens spiritu, animo certans ad clementissimum Regem scripsit, orans, ut in civitatem lignum Dominicum recipi juberet. Interim donec ejus nuntii à Rege redirent, Turonico suo virorum monasterio, quod ipsa condiderat, cum psalmodiis, & canticis sacerdotum Crucem Domini, & Sanctorum pignora commendavit. Ubi tamen non minorem injuriam sancta Crux perpessa est, simul ante invidia, quam Dominus ipse, cùm ad Præsidem, & judices iniquos maligna omnia patienter pertulit, ne id, quod creverat, periret. Id verò sancta fœmina animadvertens, magnis se cruciatibus dedit, profusioni lachrymarum se addicens, cum tota congregatione sua, donec respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, aspira- E
virque eam mentem Regi, ut in populo faceret judicium, & justitiam: misit enim devotus Rex virum illustrem, Justinum, ad virum Apostolicum Euphronium Episcopum, præcipiens, ut cum honore condigno gloriosam Domini Crucem, & Sanctorum reliquias in monasterium dominæ Radegundis inferret. Quod ut factum est, exultavit mirificè beata illa cum omni congregatione tale sibi donum cœlitus collatum, quod propitium Deum effecturum esset suæ congregationi, quam in Dei servitium collegisset, nimirum spiritu præsentiens, post decessum suum quàm esset eximia monasterii ejus futura facultas, licet ipsa, cum cœli Rege gloriaretur. Ut ergo illi subveniret, instar optimi provisoris, & pastoris boni, ne oves usquequaque deseseret, pretium mundi de pignore Christi è longinqua regione expetitum in loci ejus honorem, & populi salutem suo monasterio reliquit. Ibi divina agente virtute, cæcis redditur lux, aures surdorum patescunt, mutorum linguis suum restituitur officium, claudi ambulant, dæmones profligantur. Quid plura? Quisquis morbo laborans (quicunque tandem sit morbus) ex fide eo accedit, per sanctæ Crucis virtutem recedit incolumis. Pro quo ineffabili F
dono, quod in hanc urbem beata intulit, quisquis ex fide vivit, ejus nomini benedicit. *Greg. Turon. lib. 9. hist. Franc. cap. 40. Baron. tom. 7.*

Miracula Crucis.

Crux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, quarta, & sexa feria adoratur. Hujus reliquias & merito, & fidei Helenæ comparanda Regina Radegundis expetiit, ac devotè in monasterium Pictaviense, quod suo studio constituit, collocavit: misitque pueros iterùm Hierosolymam, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulcra sanctorum Martyrum, Confessorumque cunctorum reliquias detulerunt. Quibus in arca argentea cum ipsa Cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit. De quibus illud primùm exponam, quod ibidem Dominus in diebus passionis suæ dignatus est revelare. Sexta feria ante sanctum Pascha, cùm in vigiliis sine lumine pernoctarent, circa tertiam horam noctis apparuit ante altare lumen parvulum in modum scintillæ: deinde ampliatum huc, illucque comas fulgoris spargens cœpit gradatim in altum conscendere: effecta- G
que pharus magna, obscuræ nocti, vigilantique plebeculæ lumen præbuit supplicanti: illucescente quoque cœlo, paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium evanuit. Ego autem audiebam sæpiùs, quòd etiam lychni, qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute divina, in tantùm exundarent oleum, ut vas suppositum plerumque replerent: & tamen juxta stultitiam mentis duræ nunquam ad hæc credenda movebat, donec brutam segnitiem ipsa ad præsens, quæ offensa est, virtus argueret. Ideòque, quæ oculis propriis viderim, explicabo: Causa devotionis extitit, ut sepulcrum sancti Hilarii visitans hujus Reginæ audirem colloquia: ingressusque monasterium, consalutata Regina, coram adoranda Cruce, ac sacris beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta surrexi. Erat enim ad dexteram lychnus accensus: quem cùm stilis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum, quia putavi quasi vas esset effractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conversus ad Abbatissam ajo: Tantane te retinet mentis igna- H
via, ut integrum cicindile laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum, quo defluat, ponas? & illa: Nec est ita, Domine, mi, sed virtus est Crucis sanctæ, quam cernis. Tunc ergo ad me reversus, & ad memoriam revocans, quæ priùs audieram, conversus ad lychnum, videò in modum ollæ ferventis magnis fluctibus exundare, & per oram ipsam undis intumescentibus superfluere, & (ut credo) ad incredulitatem meam arguendam magis, ac magis augeri, ita ut in unius horæ spatio plusquam unum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat: admiratusque filui, ac virtutem adorandæ Crucis deinceps prædicavi. *Idem de glor. Martyrum. Baron. supra.*

Adoratio Crucis impedita.

Narravit nobis *Theodorus Abbas* de Abbate Christophoro: Dicebat, inquit, senex; Die quadam ascendi in sanctam civitatem, ut adoratem sanctam Crucem: & cùm adorassem, & jam exirem, aspicio fratrem quendam in limine atrii pretiosæ

tiosæ Crucis, neque intrantem, neque exeuntem. Aspicio
A item & duos corvos impudenter ante illius faciem volantes, & alis suis oculos ejus importunè impetentes, nec illum intrare permittentes: intellexi verò dæmones esse, & dixi illi: Die, Frater, cur stas in medio januæ, nec intras? Qui ait: Ignosce mihi, pater mi, cogitationes habeo, ex quibus una dicit mihi: Non, sed vade, & fac responsum, & alia vice adorabis: ego autem, ut audivi, tenui manum ipsius, & introduxi in templum; & continuò fugerunt corvi. Cùmque fecissem adorare sanctam Christi Domini resurrectionem, dimisi eum in pace. Hæc autem, inquit, Thodorus, mihi senex enarravit, quia vidit me multum in ministeriis distentum, & orationis negligentem. *Sophronius in Prato Spirituali, c. 105.*

Quando venit sanctæ exaltationis festivitas pretiosæ Crucis ego quidem, inquit Maria Ægyptiaca, sicut & priùs præibam juvenem illaqueans capiens animas. Vidi autem primo diluculo omnes ad Ecclesiam unanimiter concurrentes; abii & ego, currens cum currentibus, & veni cum illis in atrium templi, & cùm venisset hora exaltationis divinæ Crucis (hoc est, quando ab Episcopo monstrabatur palam populo) impingebam, & impingebar, repellebarque quodammodo festinans
B ingredi cum populo, ingenti impetu, & quidem ad januam templi cum his, qui ingrediebantur, appropinquabam & ego. Quando autem januam ingredi debebam, illi quidem omnes sine impedimento ingrediebantur, me autem divina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum. Mox igitur repulsa eiiciebar foras, & ejecta inveniebar sola in atrio stans. Considerans autem hoc mihi evenire ob infirmitatem virium; iterùm me aliis immiscebam, vim mihi quodammodo faciens introeundi, sed enim frustrà laborabam: Ut enim limina contingebam, omnes interius recipiebantur, nullum habentes impedimentum, me autem solam non recipiebat, sed quasi multitudinis militaris manibus modò hinc, modò illinc repulsa, & ejecta, ut mihi ingredienti aditum clauderet, ita me repentina aliqua prohibebat virtus, & iterùm veniebam in atrium. Hæc ter, & quater passa, & facere conans de cetero, & ampliùs nusquam progredi valens, discessi, & steti in quodam angulo atrii templi, & vix aliquando ob quam causam prohiberet videre vivificum lignum, in cogitationem reduxi. Tetigit enim mentem, & cordis mei oculos intellectus salutis, recogitabamque, quia squalida actuum meorum scelera mihi introeundi aditum obserebant. Cœpi itaque flens nimium conturbari, &
C pectus tundere, atque suspiria de profundis cordis proferens, & gemens, ejulansque prospexi in loco, in quo stabam, sursum, imaginem sanctæ Dei Genitricis stantem, & ajo ad eam in tentè attendens: Domina Virgo, quæ Deum Verbum genuisti secundùm carnem, præcipe, & mihi licentiam tribue ingrediendi in Ecclesiæ patefactum aditum: non efficiar aliena à visione pretiosissimi ligni, in quo affixus Deus homo, quem concipiens ipsa Virgo genuisti, proprium sanguinem dedit pro mea liberatione: jube, ò Domina, & mihi indignæ, & divinæ Crucis exaltationem januam patefieri, & te ex te genito Christo dignissimam do fidejussorem, quia nunquam ultrà meam carnem inquinabo, sed mox ut filii tui, Virgo, me lignum adorare concesseris, renunciabo sæculo, & omnibus, quæ sunt sæculi, & vadam, quo præceperis, ac demonstraveris salutis viam, quia tu pro me fidem dixisti. Hæc cùm dicerem, satisfeci menti meæ, quò sancta Dei Genitrix posset pro me hæc omnia obtinere. Derelinquens itaque locum, in quo orabam, miscui me inter hos, qui templum ingrediebanD tur, nulluque repertus est, quì me foras repelleret, sed magis ut unda maris, ita me turba intro impellebat appropinquare sancto loco, quem priùs nec pedibus calcare poteram. Tunc ex nimio gaudio apprehendit me pavor, ne viderem locis attare sanctis, ubi prius iniquitas mea me ingredi prohibebat. Nam absque ullo dolore adoravi lignum sanctæ Crucis, & sensi ibi odorem suavitatis, & meruì videre omnia Dei mysteria, & egrediens ad illam, quæ me fide duxerat, adjungensque me in illum locum, in quo promissionem fidei dictionis sanctæ Dei Genitrici feceram, flectens genua, his cœpi loqui sermonibus: Tu mei, Domina, misetta es, mea que preces non repulisti, per te meruì gloriam Dei, quam peccatores percipere non possunt. Et intrà; Dum hæc dicerem, audita est vox dicentis: Si Jordanem transieris, invenies requiem. *Nicæna Synod. 2. Act. 4. Damasc. Orat. 3. de Imagin. sub finem.*

Miraculum circa distributionem particularum Veræ Crucis Domini.

Magna ea est Dei benignitas, scribit *Bosius lib. 6. de Cruce B. L. Theat. vit. Human.* Tom. 11. quod pro fidelis populi solatio eam virtutem suæ Cruci impartiatur, ut cum omnium hominum desiderio per particularum E
ejusdem distributionem fiat satis, nullo tamen sui decremento id eveniat, & ut elegantèr iterùm *Paulinus*, quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus, supra *Epist. 11. ad Severum.*

* CRUCIS CHRISTI APPARITIO TRIUMPHALIS.

Maximus S. Crucis triumphus in die universalis judicii futurus est, quando Christo ipso, qui prima veritas est, affirmante, Sole & Luna obscuratis, apparebit signum filii hominis [quod Catholici Doctores jam olim, hodieque interpretantur Crucem, negantibus ejusdem Crucis inimicis, Calvino, Musculo, & ex simili fæce aliis] in cœlo: tanquam trophæum, & insigne regium ait *Theophyl.* cujus tanta lux inclarescet, inquit *Chrysostomus homilia de Cruce, & Latrone, Tom. 3.* ut ejus radiis lumina clara vincantur. Rationem autem hujus apparitionis dat, ut magno cumulo Judæorum impudentia comprimatur, & confundantur illi, qui ex merito Crucis nihil profecerunt, quia Crucifixum, quem adorasse oportuerat, con- F
tempserunt: & peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur. *hom. 77. in cap. 24. Matt. Cyrill. Jerosol. Catech. 15. Aug. Serm. 63 ad Frat. in Eremo, &c.*

Et quidem cam ipsam, ac numero eandem Crucem, in qua salutis auctor sua morte nostram mortem superavit, quamvis modo in fragmentorum myriades partita, per divinam potentiam conglutinandam, ac in integrum restituendam, & cum summa gloria Angelorum ministerio in die Domini deferendam, tanquam vexillum judicis, tenuit *Thom. Vualdensis Theolog. Eximius tom. 3. oper. tit. 20. c. 158. Joan. Chrys. hom. 1. de Cruce. Ephræm. Syrus. lib. de vera Pœnit. c. 4.*

Et confirmat hanc opinionem carmen illud, sive oraculum *Sibyllinum l. 6. in fine.*

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cùm renovata Dei facies ignita micabit.

Ad maximam quoque Dominicæ Crucis gloriam, & triumphum facit, quod non modò ea ipsa, quam Helena invenit, & nobis reliquit, ejusque fragmenta: sed & memoria in imagine expressa suo modo adoretur à potentissimis Orbis Monarchis, G
summaque veneratione colatur ab omnibus, qui se per Crucem redemptos credunt, & confitentur.

Quin etiam Crucis signum semper in Ecclesia usurpatum, tanquam sanctum, & efficax, ut ad cujus præsentiam plura subinde admiranda Deum parrasse, eodem hoc Titulo, exemplorum varietate ostendetur.

* CRUCIS SUPPLICIUM VETITUM.

Quo tempore Imperatrix Helena dominicâ Crucem invenit, Constantinus ejus Filius ob inventæ, & repræsentatæ sibi Crucis reverentiam, truculentissimum illius supplicium sustulit, & lege lata vetuit, ne deinceps cuiquam ad supplicium Crux adhiberetur. Cujus rei luculentissima extant testimonia apud *Sozomenum, Nicephorum, Aurelium, Victorem, Glycam* aliosque veteres, Etiam *S. August.* insinuat, licet nomen Constantini non prodiderit: dicens: Christus ipse quia honoraturus erat fideles suos in fine seculi, priùs Crucem honoravit in hoc H
sæculo, ut terrarum Principes in eum credentes, prohiberent aliquem nocentium crucifigi. *Serm. 14. de Verb. Domini, & Conc. 2. in Ps. 36.*

* CRUCIS DOMINICÆ ELOGIA.

Crux fuit ara summi Sacrificii, in qua Christus, qui dignissima hostia est, sacrificatus fuit, ut testatur *S. Paulus Epist. ad Hebr. c. 7.* Unde *B. Chrysost.* Vide, ait, Sacramentum. Ipse se offert. Vides, quemadmodum fuit & sacrificium, & sacerdos, & altare Crux fuit.

Fuit etiam Christo scala ad regnum, nominisque exaltationem. Insinuat id iterùm Apostolus *ad Philipp. c. 2.*

Fuit hominibus instrumentum liberationis, & reconciliationis cum Deo. Pacificans ait iterùm *Paulus ad Coloss. 1.* per sanguinem Crucis, id est, per sanguinem in Crucem effusum; sive quæ in cælis, sive quæ in terra.

Fuit trophæum erectum contra Diabolum, qui illa expo-